VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21 A
36

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

20. C. 26

20.5.70.

20
C
15

20.
C
26

13-14' a 3

Digitized by Google

CONSTITVTIONES ET DECRETA CONDITA

In Prouinciali Synodo Mediolanensi Septima.

QVAM

FEDERICVS S. R. E. CARDINALIS Borromaeus Archiepiscopi Mediolani habuit

ANNO M. DC. IX.

Paulo V. Pont. Max.

Ex Legato Ill.mi Carrini



BIBL.SEC.COL.ROM.SOC.IESV
IHS
VITT. EMAN.

MEDIOLANI,
Apud hæred. Pacifici Pontij, & Ioan. Baptistam Piccaleum Impressores Archiepiscopales. M. DC. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

FEDERICVS

S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS TIT. S. MARIÆ ANGELORVM

DEI, ET APOSTOLICAE SEDI gratia Archiepiscopus Mediolani,

Omnibus Prouinciæ nostræ Fidelibus Salutem in Domino.

Mediolanensem Ecclesiam optima, sanctaq; disciplina iam inde ab initio institutam, atque conformatam, nouissimè nostra memoria S. CAROLVS ità excoluerat, vt ei vel ad maiestatem diuini cultus, vel ad regimen animarum ferè nihil deesse videretur. Sed hominum negligentia, rerumq; varietate affectum est, vt nostræ hæ curæ, & hæc posteriora consilia desiderentur, atque rem Ambrosianæ Ecclesiæ, tùm obsoleta renouando,

do, tùm excogitando noua, fieri posse aliquando meliorem censeremus. Itaque celebrauimus Concilium hoc Prouiuciale septimum, seriùs id quidem fortasse, quàm oportuit, sed nõ potuit omninò maturiùs, propter eas causas, quas fratribus nostris Episcopis esse notas arbitramur. Vos in Domino charissimi promptis ad obedien dum animis accipite leges, & Decreta, quæ cælesti spiritu enixè inuocato descripsimus, & reliquos nostros conatus pijs apud Deum precibus adiuuate. Mediolani iiij. Nonas Decembris. M. DC. XII.

IN-

INDEX

Capitum, seu Titulorum Concilij Septimi.

EE.

DECRETA
Concilij Prouincialis VII. Mediolanen.

IN NOMINE SANCTÆ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

NOS FEDERICVS *S. R. E. Tit. Sanctæ Mariæ Angelorũ Presbyter Cardinalis Borromæus, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, de consilio, & assensu Reuerendiß. DD. Coepiscoporum nostrorum in Prouinciali Synodo Mediolanensi septima hæc; quæ sequuntur constituimus, ac decernimus.*

Digitized by Google

DE PRAEDICATIONE
Diuini Verbi.

MVLTA quidem sanctè, ac salutariter de Prædicatione Diuini verbi non modo sacrosancti Concilij Tridentini, sed nostrorum quoq; Prouincialium sanctionibus constituta sunt, quæ si quemadmodum ex Prouincialis III. Decreto in vnum instructionum libellũ collecta, & omnibus verbi Dei concionatoribus proposita sunt, ita etiam in vsum inducantur, maximus inde fructus existat necesse est. Hæc tamen nuper addenda censuimus.

Curent Episcopi, vt cum Parochi, tum alij, quibus concionandi munus commissum est, accuratè legant, & diligenter obseruent, quæ in libro Instructionum de Prædicatione verbi Dei ex præscripto Conciliorum huius Prouinciæ continentur.

Iidem Episcopi eos, quos deinceps ex quouis ordine, ad Prædicationis munus assument; si Ecclesia, in qua prædicaturi sunt alterius, quàm sui ordinis fuerit, examini, si ita sibi è re esse videbitur, subijciant.

Regulares, qui in docendis populis Vicariã operam Parochis præstare volunt, prædicandi munus, quod nemo nisi à Deo missus rectè, & vtiliter obire potest, laicorum hominum quorumcunque auctoritate, aut opera affectare non debent; sed vt Prouinciali Concilio secundo decretum est, ab ijs propositi, quorum curæ subsunt, liberè, atque sola Episcopi voluntate, ex quouis ordine deligi, atque constitui. Si quis autem secus fecerit, eo loco concionari prohibeatur, quem per ambitum quæsisse depræhensus fuerit.

Quia

Quia verò Concionatores, & maximè Regulares superiorum suorum obedientias per internuncios Episcopis mittere, aut benedictionē impetrare per eosdem quandoque solent; propterea ad hunc abusum omnino tollendum, qui in nōnullis huius Prouinciæ locis inoleuit) nullus in posterum Concionator prædicationem ante aggredi audeat, quam Episcopum adeat; vt ex ipso spiritualibus populi necessitatibus cognitis, opportunam adhibere medicinam vulneribus possit. Neque ea absoluta, à Ciuitate, Diœcesiue recedat, nisi corā Episcopo prius se sistat, qui ex eo fructum suæ prædicationis intelligat, ac si quid sit in populo sibi commisso, quod Episcopali auctoritate corrigi, vel vigilantia perfici possit.

Hortandi autem erunt Concionatores regulares in eorum Ecclesijs, vt concionandi munere perfuncti, ipsi etiam ad Episcopum adeant, aut impediti si fuerint, per litteras statim significent quicquid, & pro Dei gloria, & pro animarum salute Episcopo suggerendum existimauerint.

Quod statutum est de Regularibus in alijs, quam proprijs Ecclesijs ad concionandum sine Episcopi scripta facultate non admittendis, id Parochi, & Vicarij diligenter præstent; sciantq; hoc ipsum ad Regulares, etiam quouis prætextu, & causa ad prædicandum accesserint, pertinere.

At vero quia quandoque accidit vt Concionatores ad Populum de Superioribus Ecclesiasticis, & secularibus, ipsorumq; laudabilibus institutis, atque actionibus temerè obloquantur, & quorū auctoritatem tueri deberent, per imprudentiam eleuent potius, & infirment; Episcopus, si quos in hoc genere peccasse compererit, eos vt imposterum ipso etiam

mu-

munere prædicationis abstineant, cogere possit. Illud quoque in primis aduertant Concionatores, nè temere difficiliores quæstiones, & controuersias de negotijs grauioribus, actionibusq; humanis nulla præuia consultatione adhibita de suggestu, aut priuatim soluant, definiantve; sed prius cum Episcopo, & in Diœcesi cùm Parocho rem omnem communicent, quibus populi mores, crimina, & negotia notiora sunt, magisq; perspecta.

Parochi, quorum proprium munus est populum suæ fidei commendatum verbo Dei erudire, diebus præcipuè festis, quibus ex Concilij Tridentini sanctionibus, & Prouincialium frequentioribus monitis id munus obire tenentur, Concionem nulla ratione omittant, aut negligant eo prætextu, quod in alijs Vrbis Ecclesijs Dei verbũ populus audire possit; sed ipsimet; omni prorsus minus iusta excusatione sublata, in Missa Parochiali huic muneri satisfaciant.

Cui quoniam nonnulli propter imperitiam, aut propter aliud impedimentum desunt; decet autem haberi rationem omnium, & maximè illorum, qui saltus, montes, ant valles incolunt, nè in Christianæ fidei rudimentis syluescant; idcirco Episcopus rationem ineat, qua ecclesiasticos viros probatos ad obeundam prædicationem idoneos per annum statis quibusdam temporibus per Diœcesim ad varia loca possit emittere; vt populi piorum Concionatorum monitis instructi pietatem amplectantur, & colant.

Præpositi, Canonici, alijq; Chori stationibus obligati, qui item ex officio concionãdi, legendiuè muneri satisfacere debent, si concionis, lectionisuè parandæ prętextu à Choro abfuerint, eius officij distri-
bùtio-

butionibus careat, cui præsentes non interfuerint, quo vero tempore munus ipsum prædicationis, lectionisue obeunt, omnium distributionum participes sint.

Episcopi officiales in Vrbe, Vicarij verò foranei in Diœcesi, tùm per se, tum per Parochos, aliosue pios viros Quadragesimæ, atque Aduentus tempore singulos Concionatores obseruent, deq; ijs ante quartam Dominicam Aduentus, Dominicamq; Palmarum ad Episcopum per litteras referant, qui pro ut expedire viderit, vel cum ipsismet Concionatoribus, vel cum eorum Superioribus aget; ipsorumque in delectu Concionatorum proximè sequentis anni rationem habebit.

Referant itē de Parochis, qui in Quadragesima, atq; alijs anni tēporibus cōciōnādi munus obierint, & quibus diebus, quoq; charitatis studio id præstiterint, doceant præcipuè de ijs, qui remissius, & negligentius in concionando se gesserint, quiq; sine vllo studio, pauca quædam, inania, parum vtilia, neque satis pia pro Parochiali concione effuderint; vt debitas suæ negligentiæ pœnas luant.

Vicarius foraneus ante primam Dominicam Aduentus ad Episcopum, eiusue Vicarium generalem mittat iudicem Parochorum, quibus ad concionandum minus idoneis, ex Conciliorum decreto saltem in Quadragesima dandus est, qui illorum obeat vices; vt in tempore concionandi officio consuli possit.

Laudabiliter autē Episcopi fecerint, si quibus in oppidis per Cleri, Populiq; frequentiam licet in ijs exercitationes sermonū spirituali, quæ oratoria appellātur, instituerint; & certis hebdomadæ diebus, præsertim verò Aduentus, Septuagesimæ, Sexagesi-

mæ,

mæ, Quinquagesimę, & Quadragesimæ tempore, ab vno, alteroue ecclesiastico viro habendas curauerint, ad eam rationem, quæ Mediolani in Ecclesia S. Sepulchri ex B. Caroli instituto seruatur.

De Doctrina Christiana.

ECclesiasticus Vir vnus, pluresue, pro amplitudine regionũ in singulis Vicariatibus cõstituãtur, qui Scholas Doctrinæ Christianæ diligenter, pioq; studio visitent, & tertio quoq; mense Vicariũ generalem de earum progressionibus scripto edoceant.

Præter Scholas, in quibus prima fidei rudimenta traduntur, aliæ etiam in qualibet Ciuitate constituantur; vbi illa eadem capita ab aliquo idoneo Sacerdote fusius explicentur, ad normam Doctrinæ vberioris à Cardinali Bellarminio, aliove probato auctore editæ.

Scholæ omnes Doctrinæ Christianæ eo ordine vbique instituantur, vt ex ijs veluti membris inter se aptè connexis vnum corpus confletur, ac proinde quæ in singulas Plebes distinctè Priori generali illius Vicariatus parent, vniuersæ Vrbano Priori generali obediant.

Quibus in Scholis, etiam si cantionibus musicis, & symphoniacis instrumentis excitari pietas in Deum, animusq; erigi ad diuinarum rerum contemplationem soleat; quia tamen longè aliter euenire cõpertum est; siquidem ex populari illo concursu, mulierumq; in primis frequentia vaferrimi Dæmonis astu multa ad peccandũ incitamenta existunt: idcircò statuimus, vt Ciuitatis, & Diœcesis Scholæ oẽs Doctrinæ Christianæ cum marium, tum fœminarũ sine vllis musicæ cantionibus, & symphoniacis instru-

ſtrumentis in poſterum habeantur. Si quis verò decretum hoc quoquo modo violare præſumpſerit, is ſciat ſe Epiſcopi arbitrio puniendum.

De Indulgentijs.

CErtum eſt populo Chriſtiano Indulgentiarum vſum eſſe maximè ſalutarem: verumtamen moderationem ex veteri, probataq; Eccleſiæ conſuetudine adhiberi, ſacri Concilij Tridentini decreto ſtatutum eſt. Quod ſalutare documentum ſequutus eſt fel.recor.Clemens VIII. correctis, atque emendatis abuſibus, qui pluribus irrepſerant, omniq; prauo quæſtu ad illas conſequẽdas abolito, formulam ſua Pontificia conſtitutione expreſſam: quã in Indulgentijs in poſterum concedendis, & ad earum fructum capiendum ſeruari omninò oporteat, diligenter, accurateque præſcripſit. Quamobrem Epiſcopus adhibitis ad præſcriptum Concilij Tridentini duobus de Capitulo, ſuo arbitrio deligendis, indulta, quæ eo de genere à Sede Apoſtolica concedentur, ſtudiosè inſpiciat, atque indulgentias debitis temporibus publicandas decernat: ſi quid verò animaduerſione dignum deprehenderit, publicationem ſuſpendat, donec ad eandẽ Sedem Apoſtolicam, ſi ita duxerit expedire, negotiũ deferat.

Indulgentias verò promulgandi poteſtatem dum facit, caueat, ne quam praui quæſtus occaſionem relinquat; neue arcam vllam, capſulam, aut pelues ad eleemoſynas colligendas patiatur exponi: quod ipſum ex ſupradicta Clementis VIII. Conſtitutione etiam Regulares in eorum Eccleſijs obſeruare tenentur. Quod ſi vel Eccleſiæ neceſſitas, vel

qui-

quiuis alius prius vsus huiusmodi subsidium postulet, decretum Concilij Prouincialis Quinti seruetur.

Ad tollendas abusiones, quæ Indulgentiarum occasione frequenter irrepunt, decernimus, vt quod à sacro Tridentino Concilio, & sanctionibus item Conciliaribus huius Prouinciæ salubriter institutum est, præsertim quod attinet ad eas cognoscendas, antequàm publicentur, id omnino seruetur: neve vllæ tabellæ, aut imagines præ foribus quarumcunque Ecclesiarum exponantur, nisi ab Ordinarijs locorum inspectis diligenter autenticis documentis, illæ prius recognitæ sint, & approbatæ. In colligendis verò eleemosynis ea ratio ineatur, vt ab Episcopo personæ spectatæ fidei, pietatisque deputentur, quæ ipsis eleemosynis colligendis assistãt: collectæ verò de eiusdem Episcopi assensu, & scientia expendantur in vtilitatem illarum Ecclesiarum, pœna suspensionis ipso facto proposita contrauenientibus huic decreto, si fuerint Ecclesiastici, laicis verò hominibus suppressionis Scolarum, priuationis habitus, & priuilegiorum, alijsque Episcopi arbitratu.

Quia verò in moderatione Indulgentiarum à Clemente Octauo sua constitutione edita, & præscripta absoluendi, dispensandiq; facultas certa sublata est, det operam Episcopus diligenter, ne societates etiam laicales huiusmodi facultate deinceps vtantur; nisi fortè post moderationem prædictam peculiaribus litteris Apostolicis alicui fuisse concessam appareat.

Verum quoniam eo iam deuenit nonnullorum vel leuitas, vel malitia, vt passim Imagines, Cruces, Coronas, grana, numismata, & alia id genus tam-

tamquam à Summo Pontifice benedicta Fidelibus distribuere, & de ijsdem Indulgentias etiam typis excusas promulgare non dubitent, in quibus quandoque falsa, & vt plurimum à Ponti ficia auctoritate aliena continentur; Episcopi in sua quiq; Diœcesi de his diligenter inquirant, & in ipsos auctores, si haberi possint, grauiter animaduertant; curentque præterea, ne similia in posterum introducantur, & aliqua adhibita cautione dent operam, ne schedulę, quibus Indulgentiæ huiusmodi promulgantur, aut imprimantur, aut impressæ ante publicentur, quã illas veras esse liquido constet, vt hac ratione Pontificia auctoritas, & sacrosancta Indulgentiarum dignitas conseruetur.

Quamuis autem Episcopi ea facultas sit, vt (quemadmodum iure cautum est) quadraginta, Cardinalis verò si fuerit, centum dierum Indulgentiam possit conferre; quia tamen Ecclesiastica ratio suadet moderationem adhiberi aliquam conuenire; ne statim omnes, sed pro loci, temporis, & personarum ratione, modò plures, modò pauciores veræ Indulgentiæ dies concedant.

De festis diebus.

VT festis dies debita pietate, ac Religione colãtur, ab omni opere seruili Christi fideles abstinere oportet, atque ea exequi, quæ hoc de genere Synodalibus decretis sancita sunt. Sciant igitur nulli Christiano homini festis diebus operari fas esse quauis ex causa aut necessitate, nisi ea sit, quæ vrgeat, &, si id operis publicè exerceatur, ab Ecclesiastico, ad quem huiusmodi cognitio, seu declaratio de iure spectat, prius probetur. A qua quidem

dem declaratione quælibet auctoritas, præsertim laicalis abstinere, eamque locorum Ordinarijs, & ijs, quibus hæc declarandi facultas demandata est, relinquere debet. Episcopi igitur edictis statis temporibus publicandis decernant, vt dies festi à fidelibus religiosè colantur, & quæ Prouincialibus Concilijs constituta sunt, diligenter præstentur; propositis pœnis etiam pecuniarijs in vsus pios erogandis, & alijs arbitrarijs, etiam censuris, si ita iudicauerint expedire. Rogamus vero seculares Magistratus, vt ipsi etiam animaduertere velint in eos, qui sine vlla Episcopi, vel Ecclesiastici Ministri declaratione diuinum hoc, Ecclesiasticumque præceptum violare præsumpserint, vt saltem pœnæ formidine debitus diebus festis cultus reddatur,

Cum sacri temporis haberi rationem maximè deceat, prohibemus, nè quis post exactam mediam noctem, quæ primum Quadragesimæ diem proximè antecedit, carne, ouis, lacticinijsuè vescatur, si qui vero post eandem mediam noctem exactam vel Choreas ducere, vel personari incedere ausi fuerint, interdicti pœna Episcopi arbitrio puniantur. Signum autem mediæ noctis exactæ maiori Cãpana detur. Parochi in suis quique Ecclesijs diè Dominico Quinquagesimæ decretum hoc intra missarum solemnia quotannis euulgent.

De processionibus.

QVoniam ex publicis supplicationibus, seu processionibus ad implorandam diuinam misericordiam, & Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumq; auxilium impetrandum ritè sanctèq; institutis scan

dala

dala aliquando, abusus, & corruptelæ existunt; imo (quod magis dolendum est) in ijs præsertim, quæ pomeridiano tempore fieri solent, grauia delicta admittuntur, statuimus, & decernimus, vt in posterum si Episcopo visum fuerit expedire, processiones omnes etiam Sanctissimi Sacramenti, & Rosarij, quas per quoslibet, etiam Confratrias, tàm in Ciuitate, quam in Diœcesi extra propriam Ecclesiam fieri contigerit, intra fines tamen ab Episcopo præscribendos, matutino tantum tempore, dum missarum solemnia celebrantur, & ea qua decet pietate, ac Religione ad præscriptum Constitutionum huius Prouinciæ habeantur.

In his verò nulla B.Mariæ, aliorumuè Sanctorum simulacra lignea, ænea, fictilia, deferantur; sed Imagines tantum serico panno depictæ, textiliuè opere elaboratæ gestentur, idque ad tollendas turbas, vitandamque confusionem, quæ dum huiusmodi signa circumferuntur, maxima esse solet; non obstante contraria quacunque consuetudine etiam inueterata. Liceat tamen Episcopo, tota re diligenter perspecta, & maturè considerata, certo loco, & tempore, & certis quibusdam personis eam facultatem cocedere, vt Imagines, quæ apud Populum peculiarem venerationem habent circumferri possint.

De imaginibus, & nouis ædificijs in Ecclesia faciendis, & pingendis.

CVm de nouis ædificijs in Ecclesia construendis Concilio Prouinciali III. modus, & forma præscripta sint; id ita omnino seruari volumus, vt priusquam in Ecclesia, Capella, Oratoriouè quidquam noui ædificij, ornamenti, aut picturæ fiat, eius exemplar,

aut delineatio Episcopi scripto probetur, atque in Vrbe Rectori, seu Præfecto Ecclesiæ, in Diœcesi vero Vicario Foraneo exhibeatur; vt ad præscriptam formam totum præstetur. Qui secus fecerint, ad ea, in quibus deliquerint, sumptu suo reficienda omnibus iuris remedijs compellantur.

De vendentibus filios Cingaris.

TAnta est quorundam Christi fideliũ quæstus auiditas, vt proprios filios habere venales, eosq; vagis hominibus, qui cingari vulgo vocãtur, barbara immanitate tradere nõ vereãtur. Quorũ scelus cũ sit grauissimũ, grauiore etiã pœna coercendum est. Statuimus igitur, vt qui huiusmodi crimine sese obstrinxerint pœnam excommunicationis eo ipso incurrant.

De Sacramentis.

MAximè cõuenire videtur, vt hæc tota Prouincia ijsdem ritibus in Sacramẽtorum administratione vtatur; sed quoniam nullum Sacramentale iuxta Romanum ritum extat auctoritate Episcoporum Prouinciæ approbatum; ideo quod olim Beati Caroli opera fuit impressum, denuo ritu Romano ad vsum totius Prouinciæ imprimi volumus, & decernimus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVod de Confessariorum tabella Sacristiæ foribus affigenda Concilio Prouinciali Quarto sancitum est, id à Regularibus quoque prestari curet in Ciuitate Vicarius Generalis, in Diœcesi vero Foraneus; cuius item partes erunt ineunte Nouembri, & Maio Confessariorum Regularium nomina ad Episcopum per litteras deferre.

Qui criminis alicuius culpæuè mortalis socius aut

quo-

quoquomodo particeps fuerit, sciat sibi interdictum munere audiendi Cõfessiones illorũ, quos socios eius criminis culpæuè habuerit. Quod decretũ, ad quoscũque confessarios etiam Regulares volumus pertinere.

Liceat cuiuis Parocho Aduenas, & Peregrinos, quos intra suæ Parochiæ fines, vel ad breue tempus morari contigerit, etiam Paschali tempore confitentes audire; Nisi forte constet eò illos de industria diuertisse, ne in propria Ecclesia Parochiali Sacramenta sumerent. Quibus omnibus ad præscriptum Concilij Prouincialis secundi Cathedralis Ecclesiæ Parochus Sacramenta ministret.

Confessarius, qui contra præscriptum Concilij Prouincialis Primi mulierũ confessiones alibi, quàm ad fenestellam confessionalis, eamq; crate ferrea ligneauè fultam in posterum audierit, à munere confessarij ipso facto suspensus sit; sciatque facultatem audiendi Confessiones sibi minimè suffragari.

Confessionalia autem in qualibet Ecclesia non in Capellis, & cellulis, quod Concilio Prouinciali primo prohibitũ est, sed in Ecclesia loco aperto, atq; conspicuo sint in omnium oculis collocata, vt confessarius æquè ac confitens ab omnibus conspici possint.

Et si decretis Prouincialibus, & Apostolicis constitutionibus Confessarij omnes prohibentur à casibus Episcopo reseruatis penitentes absoluere ex quolibet priuilegio, tam ordinibus cuiusuis Religionis, quàm Confraternitatibus cuiusuis status, siuè Ecclesiastici, siue secularis concesso; quia tamen multi, contẽptis superiorum præceptis, earum quoq; rerum sibi facultatem sumunt, quarum nullam omnino habent, meritoque timere debent, ne pœnas, & censuras subeant ijs impositas, qui sine approbatione confessiones audiunt; ne in posterum ignorationem facti pro ratio-

ne possint afferre, decernimus, vt in facultate, quæ ad audiendas confessiones conceditur, ea clausula semper addatur, vt ab absolutione casuum Episcopo reseruatorum, & Concilijs Prouincialibus contentorum abstineant, proposita pœna suspensionis ab audiẽdis confessionibus eo ipso incurrenda, præter eas, quæ in Constitutionibus Apostolicis, & Concilijs Prouincialibus continentur.

Sciant Confessarij omnes, siue Regulares, siue seculares prætextu cuiusuis facultatis generalis absoluendi à casibus reseruatis sibi non licere eos, qui abortum fœtus animati procurauerint, effectu secuto, aut à peccato, aut ab excommunicatione contra eos Pontificia Sanctione lata, absoluere, nisi per loci Ordinarium fuerit ad hos casus specialiter deputatus; vt Constitutione fel. rẽ. Greg. XIIII. cautum fuit.

Quoniam decet rès sacras omnes, & Sacramenta in primis integrè, sanctèq; tractari, Parochi, alijvè Sacerdotes, qui Sacramentum Eucharistiæ exhibẽt, vel inseruiunt exhibentibus nihil omnino in ipso ministerio, ne à sponte quidem dantibus possint recipere, suspensionis à Diuinis ipso facto incurrendæ pœna proposita. Idemque sub eadem Pœna statuimus de Confessarijs qui in ministerio Sacramenti pœnitentiæ, vel pecuniam, vel aliud quis vis receperint.

Ne insçio Parocho fideles suæ fidei commendati, vel ægrotent grauiter, vel etiam non sine periculo animarum decedant, quod interdum euenire compertũ est, decernimus, vt quotiescunque Confessarij ad audiendas confessiones ægrotorum accedunt, moneant prius ea de re Parochum ægrotantis, nisi aut subita morbi vis, aut mortis periculum tantam celeritatem requirat, vt id fieri non permittat. Tunc enim, ipso etiam non monito audire confessiones ægrotantium

liceat,

liceat, ita tamen vt statim post eas auditas certiorem Parochum faciant; id qui facere recusauerint, aut ex culpa neglexerint, munere audiendi Confessiones, vel ad tempus, vel perpetuo Episcopi arbitratu priuentur.

Quod Pij Quinti, aliorumque Summorum Pontificum Constitutionibus, & decretis Prouincialibus statutum est de iureiurando à Medicis præstando, & de ijsdem ad ægrotos in lecto iacentes adductis, id quoniam ab ijs ita negligi re ipsa cognouimus, vt ægroti sæpenumerò sine peccatorum suorum Cõfessione decedant, ne quis ignorationis excusatione tueri se possit, præcipimus eandem Pij Quinti Constitutionem, atque decretum ipsum Prouinciale semel in anno, hoc est Dominica prima Aduentus per Parochos publicari. Volumusq; absolutionem Medicorum, qui ægrotos inconfessos perseuerauerint visitare, Episcopo reseruatam, nisi si cui Prouinciæ huius Episcopo in sua Diœcesi secus expedire visum fuerit.

De Sacramento Eucharistia in Pascha.

VT diligentius obseruetur, quod de communione Paschali tempore in Parochiali Ecclesia sumenda salutariter ab Ecclesia præceptum est, hæc præterea cautio adhibeatur, ne cuiquam alibi sacram communionem sumere liceat, ne permissu quidem ipsius Parochi, nisi eius rei facultatem Episcopus propter grauem aliquam tantum causam scripto concesserit; huius vero decreti cautionem à singulis Parochis ineunte Quadragesima quotannis euulgari mandamus.

Cõcilio Prouinciali primo præcipitur Parochis, ne Eucharistiam Adolescentibus tum primum illã sum-

pturis ante præbeant, quam eos per aliquot dies examinauerint, ac de vi, & ratione Sacramenti diligenter instruxerint: Propterea initio hebdomadæ Septuagesimæ, aliove opportuniore tempore pueros, qui ad ætatem congruam prope accedunt, ad Ecclesiam euocẽt, atque ad cognitionem, cultumq; Sanctissimi Sacramẽti Eucharistiæ erudiant, doceantq; quam humiliter, piè, ac religiosè, ad eam sumendam accedere debeãt ex regulis traditis in libro Sacramentali ad vsum huius Prouinciæ propediem edendo. Hoc ipsum Parochi, atque alij generatim tumquoque doceant, cum in Scholis Doctrinæ Christianæ aliquando Concionẽ habent; A parentibus etiam, Confessarijs, & Consanguineis, de illorum studio pietatis, ingenij indole, & rationis vsu perquirant.

Prouincialis Concilij decreto statutum est, vt postquam Parochus ter, aut semel tantum, idq; generatim monuerit Christi fideles legitimæ ætatis, qui in Pascha communionem non sumpserint, Episcopus in contumacia perseuerantes ingressu Ecclesiæ, atque Ecclesiastica sepultura interdictos in sua quemq; Parochiali Ecclesia denuntiari iubeat: Quod ita exequi Parochum oportebit, vt quotannis die ipso Dominicæ Resurrectionis, sacrisque duabus ferijs proximè consequentibus Populum publicè moneat, vt qui nõdum communicauerint, intra eam hebdomadam, aut Dominica proximè sequenti omnino communicent: qui verò ad præstituram diem id non præstiterint, eos die Dominico in Albis generatim iterum moneat, vt intra octauum diem huic præcepto Ecclesiæ satisfaciant.

Veruntamen licet Parocho ad octo superiores elapsos dies totidem alios, vel ex facultate Vicarij Generalis in Vrbe, & in Diœcesi Foranei, quindenos à Dominica

minica secunda post octauam Resurrectionis Dominicæ numerandos propter iustam causam adiungere; Quæ si eiusmodi fuerit vt longius etiam tempus requirere videatur, ea de re faciat Episcopum certiorem, quo mature, & salutariter deliberare de toto negotio possit.

Fas sit Parocho communionem etiam differre non illorum modo hominum, qui peccandi occasionem minime præciderunt, etiamsi confessionis testimonium præbeant; vt Concilio sexto Prouinciali decretum est; Sed eorum etiam, quibus propter maius eorundem spirituale adiumentum sacram communionem aliquanto serius ministrari iudicauerit opportunum. Horum tamen omnium nomina vel per litteras, vel alio modo referat ad Episcopum; atque id quamprimum post octauam Paschæ facere studeat, nullo tamen modo vltra diem Ascensionis significationem huiusmodi differat; Quod si differre præsumpserit, vt suspensionem ipso facto incurrat, præsenti decreto statuimus.

Parochus denique eos, qui contumaces fuerint, de mandato tamen Episcopi, eiusue Vicarij Generalis, Dominica secunda post Pentecosten intra Missarum solemnia interdictos denunciet; eorumque nomina cum Ecclesiæ valuis affigat, tū etiam intra quindecim dies ad Episcopum, vel eius Vicarium deferat, vt valuis etiam Cathedralis Ecclesiæ affigantur. Curæ autem sit Vicario Generali in Vrbe, & Foraneo in Diœcesi nomina interdictorum ad Regularium superiores transmittere, vt ipsi etiam à suis illos Ecclesijs arceant, atque impositas à iure censuras effugiant.

CAueat Episcopus, ne quem promoueat ad titulum Patrimonij, vel pensionis, vt cautum Concilio Tridentino est, nisi pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; Ordinatus vero sedem nō mutet, pœna interdicti ab exercitatione sacrorū proposita, sine sui Ordinàrij licentia. Quare decernimus, ne quis Prouinciæ huius Episcopis hominem Ecclesiasticum eiusdem Prouinciæ deinceps recipiat, nisi à suo Ordinario dimissus, per litteras dimissoriales existat.

Regularis promoueri ad ordines cupiens ab eo debet Episcopo ordinari, in cuius Diœcesi Monasterium est, in quo ille adscriptus familiæ degit, licet nec ex eadem Diœcesi oriundus, nec eiusdem Monasterij filius sit. Quocirca Episcopus Regularem alienæ Diœcesis incolam ne promoueat sine litteris dimissorijs sui superioris, quibus habeatur Sacram ordinàtionem per Episcopum Diœcesanum eo tempore non haberi, ideoq; Regularem ad alium Episcopum, vt ordinaretur fuisse dimissum, idque an verum sit, Episcopus, à quo petitur ordinario suo arbitratu, & si magis visum fuerit, etiam ex attestatione Episcopi Diœcesani indagare debeat.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

EXtremæ Vnctionis Sacramentum ministraturus Parochus populum prius campanæ signo ab eo distincto, quo ad deferendam Sanctissimam Eucharistiā conuocari solet, ad orandum pro Infirmo, & ad conueniendum excitare studeat; Ne vas Sacri Olei deferat, nisi superpelliceo, & stola violacei coloris decenter

ter indutus, & præsentibus saltem Clerico cũ superpelliceo, alioq; qui cereũ laterna inclusum gestet, prę-terquam si ægrotantis periculum, locive asperitas omnem huiusmodi diligentiam adhiberi minime patiatur. Idem quoque seruetur, cum ab Ecclesia Cathedrali ad Parochialem in Ciuitate defertur.

De Sacramento Matrimonij.

QVamuis ad euitanda clandestina matrimonia salutari Concilij Tridentini decreto sancitum sit, vt & denunciationes præcedant, & præsente Parocho testes adhibeantur; quia tamen hodie vsus ostendit, cũ decretum ipsum, tum summorum Pontificum constitutiones, eo de genere euulgatas minime obseruari; siquidem denunciationes facile omittuntur, Parochique vel inuiti, & repugnantes adesse coguntur; Vnde plura neque leuia mala existunt; Nos tam periculoso morbo, quantum in nobis est, volentes occurrere, ipso facto vinculis Excommunicationis adstrictos declaramus eos, qui Parocho dolose adesse compulso, matrimonia celebrare præsumpserint; mulctaque insuper nummorum aureorum cẽtum in pios vsus imposita. Iisdem censuris ac pœnis teneri illos etiã volumus, qui eam ad rem auxilium, opem, consiliũ quoquomodo præbuerint.

Cum decreto Concilij Tridentini Parocho permissum sit, vt ad matrimonium contrahendum aliũ sibi sacerdotẽ substituere possit, iubemus, vt qui Parochi munus in ea functione obibit, voce scriptoue rem ad eundem Parochum deferat, atque is in codice matrimoniorum nomen Sacerdotis, quem sibi ipse eam ad rem substituerit, notet.

Si quod impedimentum post iam factas denunciationes-

tiones detegatur, siue illud verum, & legitimum sit, siue dubium, aut falsum, dolosuè obiectum, ij quorum interest, ad Episcopum protinus deferant, nec sine ipsius permissu, vel ad denunciationes, si quæ supersint, vel ad celebrationē matrimonij vllo modo ꝓcedant.

Quibuslibet ex viduitate ad secūdas nuptias trāseūtibus cōuentus fieri, clamoresq; dissonos, & incōditos tolli ante domos coniugūm, vel passim per vias noctu, atque interdiù prohibemus, graui pœna arbitrio Episcopi constituta in eos, qui secus fecerint.

De Libris Parochialibus.

PLuribus Cōstitutionibus Synodalibus beatę mem. Carolus huius Prouinciæ Archiepiscopus sanxit, vt quique Parochus ex præscripto Conc. Trid. librum haberet, in quo baptizati, parentum, & compatrum nomina, & cognomina describerentur; tres præterea alios ad eum vsum paratos, vt in ijs matrimonia, defuncti, & status Animarum seorsim ex præscripta formula notarentur. Verum, quia in Visitatione cōpertū est, à multis per incuriā huiusmodi præceptū fuisse neglectū, Nos decē nūmis aureis arbitrio Epi erogandis mulctari iubemus illos, qui vel decreta hoc de genere condita exequuti non fuerint, vel describendi formulam hoc Concilio traditam non seruauerint.

De Missis.

CVrent Sacerdotes omnes, vt quātum fieri potest, ad præscriptum rubricæ cum officio Missa conueniat; ac proinde Dominicis, alijsq; festis diebus Missas votiuas, aut pro defunctis celebrare ne liceat.

Quoniam obtinentes beneficia etiā non curata, quæ

Missarum

Missarum celebrationem requirunt, Clericum administrum habere par est; curet Episcopus ne in posterum Ecclesiæ, Oratoria, vel Altaria construantur, nisi attributis censibus, qui satis sint ad Sacerdotes, & Clericos sustentandos eorum ministerio seruitioq; addictos. Quæ vero etiam sine Episcopi facultate, & licētia constructa iam sunt, ab ijs qui ius habent dotētur; qui si recusent, eos Episcopus omnibus remedijs iuris compellere, pœnaq; etiam priuationis iuris, quod habent, aduersus eos agere possit, aut, si ita iudicarit expedire, prædicta Altaria dirui iubeat; atq; in posterū Ecclesias, Oratoria, Altariaue ædificandi potestatē prius ne faciat, quàm (vt Aurelianensi Concilio decretum est) præfinitis ijs, quæ ad ornatum, ad lumina, ad custodiam, atque ad stipendia Sacerdotum, & Clericorū sufficiant, visaq; donatione, & dotis assignatione diligenter inspecta. In cæteris vero seruentur quæ Concilio Prouinciali Quarto sancita sunt.

Ne pia fideliū mens in constituendis in dies Missarum celebrationibus propter ministrorum celebrantium penuriam fraudetur, aut retardetur, optandum est, vt quæ de nouo instituuntur, & quæ adhuc constituta sunt onera, & vt vocant, mercenaria, ea, quantum fieri poterit, in titulum erigantur, ijs, quorum interest consentientibus, reseruatoq; etiam fundatoribus, eorumuè hæredibus iure nominandi, & præsentandi Sacerdotem ad formam, præscriptumq; fundationis ipsius. Si qua vero sint libera, nec ab vllo pendentia (modo ita expedire videatur) auctoritate propria id omninò præstet Episcopus, ea tamen semper cautione adhibita, vt lex fundationis legitimæ semper obseruetur.

Quisquis Missam, quam ex obligatione beneficij celebrare debet, omiserit, siue is beneficium obti-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tineat siue mercenarius sit, diebus festis pœnam luat duorum realium, solemnioribus quattuor, ferialibus vero vnius. Mulctæ in capsulam, quam ad hūc vsum esse in sacristia oportebit, inserantur, ex ijsque stipendium Sacerdotibus persoluatur, qui negligentiū oneribus satisfaciant. Ac propterea in qualibet Collegiata, & Plebe constituatur ab Episcopo exactor, siue executor obligationum, atque onerum Ecclesiasticorum; qui quam diligentissime curet, vt ijs à Sacerdotibus satisfiat, iuxta decretum supra descriptum. Quod vt omnino præstetur, singuli Ecclesiarum Rectores, siue Præfecti, qui Missarum codicem ex præscripto Concilij Prouincialis non habuerint, singulis aureis nummis mulctentur, solidis vero duodecim sacerdos non scribens.

Nulli planè sacerdoti prætextu tenuitatis suæ Capellæ, vel beneficij, liceat legatis pijs aliter satisfacere, quam defunctorum voluntas ferat.

Sacerdotes, qui Missæ quotidianæ celebrandæ onus mercede susceperint; si propter infirmitatem à celebratione diutius abstinuerint, Eleemosyna careant eius temporis, quo celebrare omiserint. Qui tamen per annum saltem illud munus obierint, possint, si verè per mensem infirmitate fuerint impediti, Episcopi iudicio integram eleemosynam percipere.

Eò iam progressa est hominum quorundam impudentia, vt quandoque omni Dei timore prorsus abiecto, in suarum animarum perniciem, quo tempore diuina officia, Missarumque sacrificia celebrantur, extra Ecclesiam, vel in ipsis Ecclesiæ foribus stantes obscœnis verbis mulieres ad Ecclesiam venientes lacescant; Hoc igitur decreto statuimus, vt, si quis in posterum, dum diuinis officijs, & prædicationi di-

uini

uini verbi opera datur, maximeque dum sacrificium Missæ peragitur, vel Doctrina Christiana docetur, extra Ecclesiam, vel in ipsis Ecclesiæ foribus stare deprehensus fuerit, & monitus non recesserit, parueritue, hic graui pœna etiam pecuniaria puniatur, atque ab ingressu Ecclesiæ publicè arceatur.

Quoniam compertum est Clericos, qui sunt in hominum secularium famulatu, indignis plerumque eo gradu ministerijs occupari; decet autem clericalem dignitatem ab omni genere sordium, quoad eius fieri potest, puram atque integram conseruari; statuimus decreto Concilij primi inhærentes, ne quis in posterum Clericus sacris initiatus cuiusquam famulatui, vel ad instituendos pueros; vel ad aliud quoduis munus, & officium obeundum se se addicat, nisi permissu Episcopi. Hortamur autem Episcopos omnes, vt in dandis huiusmodi facultatibus velint esse parcissimi, atque eam maximè cautionem adhibeant, vt vir, in cuius ille famulatu futurus est, tam numerosa familia sit instructus, vt credi verisimiliter possit, eius opera ad rem vllam sordidam, atq; indignam non esse vsurum. Cui vero hæc facultas concessa fuerit, sexto quoque mense coram Vicario Generali se sistat, & ad menstruas Congregationes conueniat. Qui contrafecerint, arbitrio Episcopi pœna etiam pecuniaria plectantur.

De Beneficijs.

CVm in beneficiorum curatorũ vacationibus Episcopus, atq; is etiam, cui ius patronatus competit ex Concilio Tridentino, & Pij Quinti Constitutione clericos in concursu examinandos intra decem

dies

dies proponere debeant; his transactis, poterit Episcopus ante inchoatum examen alios proponere, & concurrentes admittere. Quod si propter tenues beneficiorum redditus, locorum sterililatem, aliasue causas contingat, aut vnum tantum, aut neminem ad cōcursum accedere, vacationis Edictum iterum exponere, nouumque decem dierum terminum assignare Episcopo liceat. Si vero nulli alij interea ad examen conueniant, priori illi examinato, atque idoneo renuntiato, vel etiam (nemine examen subire volente) cuicunque maluerit, probato tamen conferre beneficium possit.

Caueant Episcopi, ne, beneficia dum conferunt, clericis prouisis onus imponant quidquam contribuendi, præstandiuè, aut ad ministrorum sustentationem, aut ad ipsasmet Ecclesias reparandas, ornandasuè, sed beneficia liberè conferentes posteà præsertim in visitationibus, Ecclesiarum necessitatibus opportunè consulant.

Illud etiam curent, vt qui beneficia simplicia possident Clericatus nuncupata, pro ratione sui muneris Ecclesijs, in quibus huiusmodi beneficia sunt, si id oneris illis legitime iniunctum fuerit, inseruiant.

Quæ ad Ecclesias Collegiatas spectant.

Concilij Prouincialis Quarti decreto sancitū est, vt Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs Canonici, Ministrique apti, atque idonei adscribantur, & ad ius distributiones percipiendi ij tantum admittantur, qui ad cantus modulationem præstandam, examine præcedente, idonei fuerint iudicati. Quoniam verò experientia cognitum est in nonnullis huius Prouinciæ Ecclesijs, tum Cathedralibus, tum Col-

legiatis; Dei timore posthabito, cum detrimento diuini cultus, & periculo animarum, eorum præsertim, qui iurati examinandi munus obire tenentur, hoc salutare præceptum contemni, & Canonicos, ministrosue cooptari, qui cautum ad sua munera pertinentem ignorant; idcirco nos malo huic prouidere volentes statuimus, vt omnes, ad quos spectat decretum prædictum quàm diligentissime exequantur; deincepsq; Episcopo curæ sit; vt ratio, quæ in Canonico, alioue quouis Choro addicto probando eodem decreto monstrata est, omnino seruetur. Quod si experimentum huiusmodi fiat, præscriptis rationibus non seruatis (quo casu probatio irrita, atque planè nulla est, vt eodem decreto cauetur) vel si quis nec aptus, nec idoneus receptus sit, idque etiam extraiudicialiter constet; possit Episcopus adhibitis duobus de Capitulo cantus peritis suo arbitrio eligendis, iterum examini illum subijcere; Et si idoneus repertus non fuerit à perceptione distributionum ad tempus suspēdere, atque experimentum in aliud tempus suo arbitratu differre.

Et Sacrosancti Concilij Tridentini, & Apostolicis Constitutionibus prouisum est, ne Canonici ab Ecclesiarum suarum seruitio diutius absint; Veruntamen quoniam, si Canonicus, cuius Præbenda Sacerdotalem requirat ordinem, vt illiteratus, aut alias inhabilis, neque ordinari, neque (statuto Ecclesiæ, aut ipsius Concilij decreto repugnante) ad distributiones possit admitti, eiusdem Concilij, sacrorumq; Canonum dispositio eluditur; Propterea Episcopus ad residendum in Ecclesia in qua Canonicatum, seu Præbendam obtinet, omnibus remedijs iuris illum compellat, pœnaque præcipuè priuationis fructuum ad formam à Concilio traditam contra eum omnino

agat;

agat; ac postremo crescente contumacia, aduersus eũdem iuxta Sacrorum Canonum constitutiones, vt eodem Tridentino decreto cauetur, procedat.

Etiamsi Tridentina Synodo, Pij Quinti Cõstitutione, ac postremo decretis Prouincialibus, abolita fuerint Ecclesiarum statuta, consuetudinesque vniuersæ, quibus, vel in beneficijs Ecclesiasticis conferendis, vel in eorum possessionibus tradendis, locorum Ordinarijs, eorumuę ministris mercedis, aut emolumenti aliquid permittebatur accipere; quia tamen compertum est nonnullos nomine Vrbanitatis, seu honorarij, alijsue titulis esculenta, variaq; munera contra huiusmodi decreta extorquentes, aut prouisos Clericos ad conuiuia paranda velut cogentes, ad abusus pristinos redijsse, idcirco beneficiorum collatoribus, & alijs quibuscunque, præsertim Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, & patronis, ne pro collationibus, vel possessionibus, præsentationibusuè huiusmodi, quid minimum directè, vel indirectè, ne à sponte quidem dantibus, vel sigilli nomine recipere audeant, districtè prohibemus: Curetq; Episcopus diligenter, vt ijs pœnis, quæ in eadem Apostolica constitutione, & decretis Prouincialibus continentur, qui contrafecerint, puniantur.

Quæ ad conseruanda bona, ac iura Ecclesiarum poterant pertinere, ea satis præscripta sunt Concilijs Superioribus. Sed quoniam plura ex his nondum plenam executionem habuisse cognitum est: Vnde iura ipsa progressu temporis, vel amissa sunt, vel saltem in dubium reuocata; idèoque pœnis etiam, & censuris contra negligentes agendum erit, vt, quæ Concilijs statuta iam sunt, ea integrè perficiantur, bonis etiam omnibus, & scripturis, si videbitur opportunum, recognitis, Inuentarioq; confecto. Si qua vero bona,

ac iura propter incuriam obtinentium deperdita reperientur, eorundem sumptibus, beneficiorum fructibus sequestro positis, alioue quouis modò recuperentur; aut omninò ij compellantur dãna omnia ipsarũ Ecclesiarũ pstare, & detrimẽta quæcũque fuerint resarcire.

De fructibus Ecclesiasticis Clerici defuncti.

QVod defunctibus beneficiorum inter hæredes Clerici defuncti, & successores in beneficio Superiori Concilio sancitum fuit, vt scilicet ius commune omninò seruaretur, sublata quacunque consuetudine, id intelligendum esse declaramus, non de iure communi antiquo Sacrorum Canonum, quo fructus omnes etiã exacti, & modo non consumpti ad Ecclesias pertinebant; Sed de iure communi, quod ex ea consuetudine legitimè præscripta oritur, qua Ecclesiastici redditus, & ex ipsius acquisita ad hæredes Clericorum dispensanda pertinent. Consuetudo autem, quæ abrogatur, ea est, ex qua hæredibus defuncti Clerici post Calendas Augusti fructus omnes illius anni etiam pendẽtes ad iudicabantur, nulla parte data successori in beneficio, cui consuetudini iam antea in Sinodo Mediolanẽsi fuerat derogatum.

Verum quoniam nondum litibus, & controuersijs satis consultum est, hæc præterea declaramus atque decernimus.

Fructus omnes à solo separatos, etiamsi nondũ exacti fuerint, aut reconditi; modo illos beneficiati hæredes, priusquam maturi essent, in successoris præiudicium à solo minime separauerint, & parte colonica dũtaxat excepta, hæredibus ipsis, pendentes autem successoribus in beneficio, excepta item parte colonica, adiudicamus.

Quod si fructus omnes, cum beneficiatus obit, à solo separati fuerint, omnes quidem hæredum sint: iĳ tamē oneribus beneficiĳ satisfacère, ac, si Parochialis Ecclesia sit, vel beneficium requirat residentiam personalem, successori eam partem relinquere tenebūtur, quæ ordinariĳ arbitrio definienda ad ipsius victū, & reliqua onera sustinenda, vsque ad nouos fructus sufficiat, habita temporis, & quantitatis annui redditus ratione.

Si verò fructus in ædium locationibus, annuis censibus, similibusue consistant, ad ratam temporis diuidantur. Pensiones autem pro fructibus bonorum simplici locatione debitæ, & loco fructuum succedentes, siue dies solutionis cesserit, siue non, ad eum omninò pertineant, ad quem fructus pertinere suprà decretum est.

Quod verò ad æs alienum ratione beneficiĳ per beneficiatum contractum attinet, cuiusmodi sunt decimæ, pensiones non solutæ, Salarium Coadiutoris, reparationes bonòrum immobilium, ornamenta Ecclesiæ, aliaué huius generis; si superioribus annis contractum appareat, ipsius beneficiati hæredes creditoribus integrè satisfaciant: Si vero eo anno, quo ipse decesserit, fructuum perceptorum, & temporis rationē habebit Episcopus, vt scilicet pro rata fructuum, quā quisq; perceperit, & temporis, quo noui fructus percipientur, alienum æs persoluatur.

Caueant hæredes Clerici defuncti, ne ante confectum Inuentarium fructus exigant, vel in bonis occasione beneficĳ relictis quauis occasione, prætextuue se se immisceant, sed, quæ Concilĳs Prouincialibus hoc de genere statuta sunt, sub pœnis ibidem expressis omnino obseruent. Quod si immaturos fructus in successoris damnum à solo separauerint, vel

li-

ligna incidi iusserint, aliudue detrimentum successori in beneficio in bonis Ecclesiasticis afferre præsumpserint, damnum omne eidem resarcire remedijs iuris cogantur, & pro ratione, modoque culpæ grauiter ab Episcopo puniantur.

Episcopos denique, cum primũ Ecclesiam vacasse cognouerit, non modo Vicarium, si opus fuerit, cum congruæ portionis assignatione, vt Concilij Tridentini decreto, & Prouincialibus sanctionibus cautũ est, constituendum, sed fructus etiam omnes penes vnũ aliquem opulentum, spectatæq; fidei hominem deponendos curet, vt oneribus beneficij in primis, & ante omnia ex fructibus ijsdem satisfiat; reliqui verò ijs, ad quos de iure spectant, & iuxta formam superius traditam de mandato Episcopi restitui possint.

De Conseruatoribus etiam Regularium.

QVi ab Apostolica sede litteras conseruatorias impetrauerint, quamuis Regulares sint, meminerint debere se intra mensem ab eo die, quo ipsas litteras obtinuerint, locorum Ordinarijs exhibere, & Cõseruatorem, quem delegerint, indicare; Alioquin Episcopus causas omnes, etiam de manifestis iniurijs, & violentijs tãquam legitimus Iudex cognoscere possit, quemadmodum Sanctæ mem. Gregorius XIII. ex sententia sacræ Congregationis Concilij decreuit.

Conseruatorẽ semel delectum, ante exactum quinquennium ab eo die, quo delectus est, mutare non licet, ex eiusdem Greg. XIII. decreto. Is tamen deligi debet, qui dignitatem, Personatumue obtineat, vel in Ecclesia Cathedrali sit Canonicus ex Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini præscripto, sitq; omnino vnus aliquis ex Iudicibus in Synodo deputatis, si cut cauetur decreto sanctæ memoriæ Clementis Octa-

ui hac de re edito die 19. Martij 1591.

Hic in Curia duntaxat Episcopali illius loci, vbi deputatus est, ius reddere, & causas audire tenetur, alibi verò, ne consentientibus quidē partibus Cōseruatoris munus obire, nec Tribunal erigere potest, quemadmodum sacris Canonibus cauetur, nisi aliud Conseruatorijs litteris, vel Apostolico priuilegio caueatur.

Causas, quæ iudicialem requirunt indaginem, nisi id litteris Apostolicis caueatur nullo modo debet attingere; sed has solum cognoscere, quæ à iure concessæ de manifestis iniurijs, & violentijs sunt; à criminalibus vero, & mixtis penitus abstinere, easq; Iudicibus Ordinarijs, quibus de iure competunt, Integras, intactasq; relinquere; nec voluntariam Iurisdictionē exercere, præterquā in casibus à iure expressis, & præterquam si secus litteris Apostolis caueatur.

Caueat ne facultatis sibi concessæ limites, cancellosque transiliat, vt ipse annuæ suspensionis ab officio pœnam, nullitatemq; processus; pars vero, vt iure cautum est, sententiam excommunicationis euitet.

Sub conseruatorem constituere, causamuè vllam, quæ apud ipsum Conseruatorem agatur, agendaue sit, cuiquam subdelegare prorsus non licet, nisi eius rei facultatem Conseruator acceperit; tum vero sibi substituere debet eum, qui ijsdem conditionibus commēdetur, quas in ipsomet Conseruatore inesse oportere monstratum est.

Si inter Conseruatorem, & Ordinarium, aut inter duos Conseruatores controuersia de competētia iurisdictionis exiſtat, licet Conseruatori ad superiorem suū confugere, vel iuris arbitros ex præscripto Tridentini Cōcilij vtrinque deligere ad eum finē, vt inhibitiones inter Conseruatorē, & Ordinarium omnino tollantur.

Conseruatores in causis, quæ apud ipsos aguntur,

prout in Cedula pronunciare non debent, neque habere terminum pro seruato, sed liberè sententias suas proferre, & descripto ipsa die termini statim qublicare, & recitariuè iubere ad præscriptum Constitutionis Gregorij XIII. eo de genere editæ.

Propinas accipere non possunt, si constitutum stipēdium habeant, alioqui moderatas iuxta taxam eadē constitutione præscriptum (sententia prius non subscripta modo, sed etiam causæ Notario tradita, & publicata) per eiusdem Notarij manus possunt accipere.

Nisi taxam seruauerint quicquid præter eam acceperint, restituere teneantur; nec, nisi facta restitutione, in foro conscientiæ possint absolui, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura, vt cauetur eadem Gregorij XIII. Constitutione,

Hæ verò propinæ apud Notarium causæ non nisi post subscriptam sententiam, & eidem Notario traditam, deponantur: depositionem in acta causę Notarius referat, prout sanctæ me. Gregorius XIII. decreuit.

Ante diffinitiuam sententiam pronunciatam caueant, ne quid omnino accipiant, vel pro sententijs interloquutorijs, alijsuè decretis diffinitiua vim non habentibus, vel ob eam causam, quod in scripturis, informationibus, processionibusuè legendis tempus con sumpserint, vt eadem Constitutione cauetur.

Aduocatus, Procuratores, & Sollicitatores, qui causas apud ipsos agunt, neque verbo nominent, alioue vllo modo designent, neque domi in contubernio habeant, vt à Grego. XIII. eadē Constitutione decretū est.

Nòtarios sibi sumant Curiæ duntaxat Episcopalis, quos non modo de scripturis fideliter asseruandis, sed etiam post absolutas, transactasque causas, de ijs in Archiuia, seu Tabularia Ordinariorum inferendis, sine præiudicio tamen eorundem Notarium, iuxta

eandem Constitutionem cauere decernimus.

Assessores, siue Arbitri, qui suspectis Conseruatoribus adiunguntur, ne quid vel minimum accipiant eo nomine, quod scripturas, processusq; viderint, aut decisiuum suffragiũ tulerint; si quid acceperint, etiã in foro conscientiæ restituere teneantur iuxta eiusdẽ Gregorij XIII. decretum.

Notarij Conseruatorum taxas sui quique Ordinarij sequantur, & ex earum præscripto exigant, præterquam in casibus eadem Gregorij XIII. constitutione expressis; In quibus si ordinariorum taxæ minores sint, eæ omnino seruentur, vt eadem Constitutione sancitum est.

De Cancellaria Episcopali, & eius actis.

NE libri, acta, scripturæuè ad Cancellarias Episcopales spectantes vllo vnquam tempore disperdantur, aut pereant, curent Episcopi litteras à summo Pontifice obtinere, quibus pœna excommunicationis ipso facto proponatur omnibus, qui eas quouis prætextu malitiosè celauerint, aut ex Cancellaria sine Episcopi licentia asportauerint; ac decedente Episcopo, eius Vicarius Generalis, seu Canonicus Cathedralis ab eodem Episcopo delectus, quam diligentissimè studeat, vt Inuentaria, Libri, Actaque omnia Cancellariæ, tam voluntariæ, quam contentiosæ Iurisdictionis, tam Ciuilia, quam Criminalia ad eandem Cancellariam, seu Archiuiũ Episcopale deferantur, Scriniorumque claues vsque ad Episcopi successoris ventum penes se habeat, & diligenter asseruet.

De

MEminerint Episcopi auctoritate à sacro Concilio Tidentino tributa, licere ipsis quoscunque Notarios vtcunq; Apostolica, Imperiali, Regiaue auctoritate creatos, etiam tanquam S. Sedis Apostolicæ delegati examinare, & quos idoneos nõ esse, vel in officio deliquisse repererint, eiusdem officij in negotijs, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercitio in perpetuum, vel ad tempus prohibere; neq; eorũ Notariorum appellatione interdictiones Ordinariorum suspendi. Itaque hac facultate nouiter vtantur.

Illud etiam statuimus, vt Iudices, alijque in litteris remissorialibus, & compulsorijs, Ecclesiasticis tamen deputati, teneantur in ijs exequendis Notarios ab Episcopo approbatos omnino eligere.

De Legatis Pijs.

NIhil est ab humana, Christiauaque pietate, ac fide alicuius, quam pias vltimarum voluntatum dispositiones debitæ executionis effectu fraudare, eorumque solutiones, quæ Ecclesijs, pijs locis, pauperibus, alijsque huiusmodi personis debentur, vel differre diutius, vel penitus denegare. Quare, & antiquo Canone grauis in eos statuitur pœnitentia, & Concilio primo eisdem absolutio, præterquam sub certa forma nullo modo conceditur. Veruntamen quia neutrum remedium satis adhuc vtile fuisse compertum est, si quidem innumera sunt huius generis onera, quę non præstantur, Episcopi Edicto generali proponant interdicti ab ingressu Ecclesiæ pęnam ipso facto incurrendam, ijs omnibus, qui piorum legatorum executionem vltra biennium differũt, & quæ Ecclesijs, pijsve

locis ac personis debent,non solummnisi intra certum tempus dilationis, seu impossibilitatis causam attulerint,quæ ab Episcopo,eiusue Vicario Generali,non ab alio approbetur;firmis nihilominus semper manentibus cæteris pœnis,quæ hac de re propositæ sunt.

De taxa funeralium.

AD Clericorum cupiditatem, populorumque auaritiam coercendam Episcopi in sua quique Diœcesi, aut Vrbe diligenter inquirant, quæ emolumenta dari in funere soleant, & pro ratione laudabilis consuetudinis stipendium in funeribus, exequijsque constituant, cuius modum excedere nemini fas sit, certis salutaribus pœnis propositis. Modum etiam sumptibus funerum in sua quique Diœcesi,& Vrbe, pietati, modestiæque Christianæ consentaneum imponāt, ne, quod ad religionis cultum, & ad Animarum salutem pijs suffragijs procurandam salubriter institutum est, eo fideles ad inanis pompæ ostentationem abutantur. Quamobrem in funere defuncti quacunque dignitate. statu,ordineve ille fuerit, eum Sacerdotum,tam secularium,quàm Regularium, & præterea cereorum numerum adhibere licebit,qui in Tabella hac de re edēda ab Episcopo certus constituetur, & præscribetur. Cereorum autem pondus, & elemosyna item quanta in funus, & exequias conferatur in eadem Tabella sigillatim præscribenda, planè seruetur.

Quod Decreto Concilij Prouincialis primi statutū est, vt cum ex Parochia,cui secularis Sacerdos præsit, mortuus effertur,vt in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis Præfectus sit, tunc vtrique Parochi superpelliceo, & stola induti pares progrediantur. Declaramus, siue statuimus locum non habere,cùm Parochus

rochus

rochus siue Secularis, siue Regularis accedit ad funus vnà cum Præposito, aliove, qui obtinet Dignitatem, quæ animarum Curam adiunctam habeat, quique cum suo Capitulo simul intersit, tunc enim Parochi illi non progredi pares inter Præpositum, & Canonicos, sed præire ijsdem Canonicis debent, quemadmodũ huius Metropolitanæ Ciuitatis vsus & consuetudo obtinuit.

ADMONITIO

De Decretis superiorum Conciliorum accuratius exequendis.

PERTINET ad officium huius Concilij Prouincialis dare operam, vt decreta, quæ Beatus Carolus olim Prouinciæ Archiepiscopus, & Cardinalis in sex superioribus Concilijs condidit, si qua ex eis, vel languidius in usum inducta, vel frequẽti⁹ violata sint, monitione pro rei grauitate adhibita, in posterum plenè, quantum fieri possit, obseruentur. Itaq; tum Episcopos, Cleros, Populosq; enixè monemus, vt in vniuersum decreta omnia Prouincialium Conciliorum pro sui quiq; muneris ratione perfectè exequãtur, tum speciatim eorum exequutionem requirimus, quæ nominatim visum est hoc loco breuiter cõmemorare, vnà cũ ijs, siue accessionibus, siue explicationibus, quas addendas esse iudicauimus. Monemus item, vt hæc illa esse decreta omnes meminerint, quæ Beati Caroli in primis iudicio, & lumine conscripta non modo sãcta Sedes Apostolica approbauit, sed Ecclesiæ etiã ex longinquis Prouincijs ità admiratæ sunt, vt ad cõstituendam Ecclesiasticam disciplinam ea studiosè

com-

comparauerint, ac sibi adhibuerint; iudicātes id, quod re vera perspicitur, huiusmodi decretis & antiquam sacrorū Canonum disciplinam esse renouatam, & nostrorum temporū corruptelis remedia opportuna, allata. Quamquam verò magna ex parte nostra admonitio superuacanea ijs videri possit, qui commune, ac magnum studium, pietatemque ergà Beatum Carolum, eiusq; monita, & præcepta perspiciunt; nostri tamē officij esse duximus, quoniam ad Ecclesiarum nostrarum salutarem administrationem magni admodum momenti res est Prouinciam hanc ea de re admonere, quod quidem, quantum possumus vehementer pro Conciliari nostra auctoritate facimus.

DECRETA

Aliquot Cōciliorum Prouincialium, quæ diligentiorém executionem postulare videntur.

De ijs, quæ ad fidem conseruandam pertinent.

SI res vlla est, quæ Ecclesiasticorum Pastorum curam, & vigilantiam postulet, ea certè maximā in primis requirit, quæ ad Catholicam fidem ab omni prauarū opinionum, pestilentisque doctrinæ labe puram, atque integram conseruandam pertinet.

Quocircà Episcopi pro sua pietate meminerint dare operam, vt quæ de hominibus ad loca hæresi infe-

infecta proficiscentibus, aut ad nos inde venientibus decreta sunt, omninò seruentur; eademq; decreta vnà cum constitutione Clementis Octaui in vulgarem linguã conuersam ab omnibus Parochis certis anni temporibus, tum verò maximè, cùm iidem homines redire solent in patriam, promulgentur. Conc. Pro. 1. & 6.

Inquisitionis causarum acta breuiter, summatimque descripta typis edi, imprimiq; ne patiantur. Conc. Pr. 3.

Libros, qui in Prouincia imprimuntur, venalesve habentur, eos item, qui in defunctorum hæreditatibus relinquuntur ex præscripto Regularum, quæ librorum indici adiectæ sunt, quæq; Prouincialibus Concilijs continentur, quàm diligentissimè recognoscendos curent; adactis etiam iuramento Bibliopolis, & Impressoribus.

Eandem adhibeant diligentiã in explorandis moribus, coniugijs, & toto vitæ genere Cingarorum, sortilegijs præsertim, & diuinationibus, quibus illi maximè solent esse addicti: ac si quid alienum à Religione cognouerint, grauiter in eos animaduertãt. Parochi verò in Vrbe, & Vicarij foranei in Diœcesi nullo modo omittant inquirere: an ea, quæ de ludimagistrorum vita, moribus, religione, doctrina, docendiq; ratione cauta sunt, obseruentur; ac si qua in re peccari compererint, ad Episcopum deferant.

De Fidei initijs à Parocho tradendis.

Cogit nos & rei tàm necessariæ magnitudo, & Parochorum quorundam vel negligentia, vel incuria, quæ de Christiana doctrina tradenda pluribus Concilijs Prouincialibus pręcepta sunt, ea vehementius inculcare. Igitur Parochus diebus festis, hora præscripta signum Scholæ habendæ dare non desit; &

quod tempus Scholæ tribui consueuit,id totum semper in Ecclesia sit,ne illo absente fideles ad exercitationem doctrinæ,vel minus frequentes conueniant, vel languidius in ea addiscenda se gerant.

De Prædicatione verbi Dei,& Præbenda Theologali.

Cùm omnes intelligant ,quantum momenti sit in prædicatione Diuini verbi ad excitandum inanimis Christiani populi desiderium superuacaneum videri posset, Episcopos tam salutaris officij admonere; Verũtamen quia in hoc munere obeundo Parochorum quandoque diligentiam, aut peritiam desiderari,animaduertimus,Episcopos omnes in Domino co hortamur, vt quæ hoc de genere superioribus Concilijs sancita sunt, ea ita seruari curent,vt si forte Parochi per se ipsi non sint idonei , vel opera aliorum vtantur, vel de libro homelias populo legant.

Eam quoque cogitationem eisdem Episcopis magnopere commendamus,vt de Præbenda Theologali in Cathedralibus, & Collegiatis oppidorum insignium constituenda, si nondũ fecerint,solliciti sint, eiusq; rei facultatem, si opus sit, ab Apostolica Sede obtineant. Id enim Cleris,& populis ad doctrinam salutarem,& spirituales progressiones prodesse plurimum potest.

De Sacramento Baptismi.

Quo magis ad salutem necessarius Baptismus est, eo etiam intensiore studio cauere oportet, ne quid in eius administratione ab obstetricibus præsertim peccetur.

Quam-

Quamobrem quæ de ijs examinandis, ſcriptoque probandis ad Sacramentum hoc miniſtrandum, deque teſtibus ab ijſdem adhibendis, cùm baptizant, ſtatuta ſunt, ea accuratè ſeruentur. Cõc. Pr. 6.

Benedictio fontis baptiſmalis ante diem Paſchæ, & cum tribus Sacerdotibus fiat. Cõc. Pr. 4.

De Sacramento Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

Incredibile dictũ eſt, quàtopere inflammari fideles ſoleant ad omne Religionis officium, atq; ad frequentiam Sacramentorum pia cohortatione, facilitate, & manſuetudine Parochorum, quos cũ deceat de ſalute populi ſibi crediti laborare, vehemẽter monemus, vt frequentem ſanctæ Communionis vſum inducere ſtudeant, faciles ſe in audiendis confeſſionibus præbeant, ægrotos, etiamſi non vocentur, viſitent, eoſq; ad Sacramenta ſuſcipienda hortentur.

Epiſcopi verò Confeſſarios etiam Regulares amoueãt, ſi qui minus integrè in eo munere obeũdo verſentur, ſicut cautum eſt Concilio Prouinciali ſexto.

De Festorum dierum cultu.

Dolendum ſanè eſt, Chriſtianos homines, ijs diebus, qui ſunt pietatis officijs, & diuino cultui conſecrati, pernicioſis Sathanæ artibus fraudibuſq; deceptos, omnium profanarum voluptatum illecebras, atque oblectamenta, maximè quærere. Qui morbus ne latius quotidie ſerpat, neve aliæ ex alijs corruptelæ ſubinde exiſtant, in eam cogitationem incũbere Epiſcopos cupimus, vt comeſſationes, choreaſque publicas funditus tollant, neque venales res minimè neceſſarias præſertim ante fores Eccleſiarum, & in Cœmiterijs ſinant exponi. Conc. Pr. 1 & 5.

Mo-

Monemus autem Parochos omnes, Vicariosque Foraneos, vt festos dies, qui vel vniuersè, vel sigillatim intra suæ Parochiæ, Vicariatusve fines coluntur, aliasque item celebritates, quæ Indulgētiarum, Iubilei, aliusvè rei causa magna frequentia populi peraguntur, in certum codicem referant, eorumque omnium Indicem ad Cancellariam Episcopalem mittant, aut ipsimet afferant.

Cōc. Pro. 6.

In Indice singularum celebritatum abusus diligēter notent, atque hoc idem deinceps seruent, si propter nouam aliquā celebritatē, aut Indulgentiam impetratam concursus solito maior ad Ecclesias fiat.

Episcopi verò, qui Edictum de obseruatione festorum dierum nōdum ediderint, ad eorum cultum non parum adiumenti attulerint, si ex regulis Conciliorum huius Prouinciæ quàm primum conficiendum, & per Parochos certo tēpore, & quoties opus fuerit, promulgandum curauerint.

Illud etiam vehementer optandum est, vt historiam cuiuscunque Sancti, Sanctæve, cuius corpus, reliquiæve insignes in aliqua Ecclesia recondnntur, conscribi quam accuratissimè iubeant. Quibus autem in Ecclesijs Sanctorum vitæ descriptæ iam extant, eas priusquam in Ecclesia legi permittant, ex piorum eruditorumque virorum sententia & iudicio recognoscant.

Conc. Pro. 3. & 4.

Quæ pertinent ad Diuina officia.

Cum vbique semper elucere debet pietas, & religio hominem Ecclesiasticorum, quos reliquis fidelibus ad omnem virtutem præire suo exēplo oportet, tum in functionibus Ecclesiasticis, ritè, atque ordine obeundis, diuinisq; officijs persoluendis, equissimum est, nullam vt partem desiderari debitæ diligen-

ligentiæ patiantur; Quod cum aliter fieri nonnullis in Ecclesijs videamus, cogimur Canonicis, & Capitulis obseruationem eorum, quæ de Chori disciplina, & de sacris muneribus per se, non per alium præstandis, decreta sunt, aliquantò studiosius commendare, Episcopos verò monere, vt si quos in hoc genere peccasse comperetint, eos afficiant pœnis, quæ ijsdem decretis expressæ sunt. Conc. Pro. 1 & 2. Conc. Pr. 1.

Canonicus sine facultate Præfecti à Choro ne abeat, atque ab Ecclesia multo minus, nisi tantum triduo absfuturus ab eodem Præfecto, vel si diutius, ab Episcopo facultatem obtinuerit. Conc Pr. 1.

Punctatores errata omnia in decretis expressa notent, atque ad eorum præscriptum iurent. Conc. Pro. 1. & 4.

Bene autem Episcopi diuino cultui consuluerint, si quibus horis, & officijs etiam extraordinarijs, vel nullæ, vel tenues distributiones tributæ sunt, ijs ipsi congruas assignauerint, præcipuè verò officijs Pontificalibus, quæ negligi quandoque solent, & Missis, quæ propter sacras ordinationes in Sabbato Quatuor Temporum celebrantur. Cõc. Pro. 4.

Omnes denique, quibus diuinorum officiorum munus incumbit, ea omni studio exequantur, quæ Concilijs Prouincialibus ex sacris Rubricis de sacrorum officiorum ritibus, de tempore, ratione, atque ordine recitandis, de duabus Missis Conuentualibus in collegiatis Ecclesijs certis diebus canendis, deque officijs à Parocho in solemnitatibus celebrãdis præscripta sunt. Cõc. Pro. 3. & 4.

In quibus diuinis officijs quoniam Christianorũ animi ad pietatem, non ad voluptatem sunt excitandi, illud omnino curandũ erit, vt neq; vlla instrumẽta præter Organũ adhibeantur; & cantus ipsi, sonique nõ prophani, & molles, sed graues sint, & modesti: si

quid

quid autem fractius,& solutius temerè,imprudēter que fuerit introductum,eo sublato,musica ad pristinam grauitatem,dignitatemque restituatur.

De Ecclesijs,& earum cultu.

In Ecclesia,quę domus Dei est,purè,sāctèque agi tractarique omnia decet: Quo magis deploranda est conditio nostrorum temporum,quibus tantopere laborādum sit,vt ea inde arceantur, quæ diuini cultus rationem turbare possint: Verumtamen, quando ita fieri necesse est,mouentur parochi, vt ab Ecclesijs nō modo seculares omnes actiones,vana,& prophana colloquia,deambulationes, strepitus, clamoresque submoueant,sed illa etiam omnia penitus auferant,quæ his occasionem quoquo modo præbere solent,cuiusmodi sedilia sunt,& priuata subsellia,quę tolerari omnino non debent.

Conc. Ir. 3 & 4.

Curent etiam,vt mulieres velatæ,& à viris quantum fieri potest,discretæ sint.

De Vita, & honestate Episcoporum, & Clericorum.

Episcopi cæterique Pastores Christianis gregis, quò celsiore, magisque conspicuo loco sunt positi, eo facilius in se omnium mentes,oculosque conuertunt,quantoque maiorem vim propter auctoritatē, atq; amplitudinem dignitatis habent ad monendos in vtranque partē animos subditorem, tanto acrius eniti debent, ne quam suo exemplo cuiquam peccandi materiam dedisse vnquam videri possint.

Conc. Pr. 1. & 4.

Igitur episcopos obsecramus,vt cum alia omnia, tum illa in primis, quæ decretis Prouincialibus de

mensæ,

mensæ, vestitusque Episcopalis moderatione cōstituta sunt, obseruare diligentissimè velint; pœnisque & censuris propositis ita clericos in officio continere, vt neq; sine tonsura, habituq; clericali incedant, neque arma cuiusuis generis deferant, neque lugubribus, sericisve vestibus induantur, neque laicorū hominum consuetudine familiarius, quam deceat, vtantur; neque fœminas quascunque, etiam quouis sanguinis vinculo coniunctas in suis domibus habeant, neque demum negocia secularia, maximè vero Procuratoris, & negotiorum gestoris officia tractent. Conc. Pr. 3 & 5.

Clerici libros habeant Ecclesiasticis moribus cōsentaneos; sacrarum litterarū studia assiduè colant; otium fugiant, ne serui Dei inutiles iudicentur.

In Cōgregationibus neque præscripta mensæ moderatio violetur, & ita omnia fiant, vt & Sacerdotes inde abeant doctiores, & animarum saluti firmiora præsidia comparentur. Conc. Pr. 3. & 4. Conc. Pr. 3 & 4.

Quia & illud curæ esse Episcopis maximè cupimus, vt clericus ordinatus alicui Ecclesiæ adscribatur, vbi suscepti ordinis functiones exerceat, qui si locum inconsulto Episcopo deseruerit, non modo à sacrorum exercitio suspendatur, sed ad vlteriorem ordinem ante ne admittatur, quàm testimoniū afferat, se functiones sui ordinis, in Ecclesia obiuisse. Conc. Pr. 3

Quæ ad capitula pertinent.

Cur tam multa superioribus Concilijs de Capitulis ritè habendis præcepta sint, ea potissimum causa videtur fuisse, quod ab huiusmodi Conuentibus magna ex parte recta Ecclesiasticarum, sacrarumq; rerum tractatio, atque administratio pendeat.

Qua propter Canonici singulis hebdomadis congressum, seu capitulum de rebus spiritualibus habere ne desint, atque si id Episcopus negligi videat, sui muneris esse sciat, à punctatoribus absentes notari iubere, vt distributionum congrua portione mulctentur.

Conc. Pr.2

In Capitulis modestiam seruare meminerint, atque in errantes Episcopus pœnam constituat.

Conc. Pr.3

Res grauiores in vno Capitulo propositæ, in alio deliberentur; suffragia occulta ferantur; & quæcunque decreta fuerint à Cancellario Episcopali excerpta notentur.

Conc. Pr.4

Sed in ea præcipuè re Episcopum elaborare oportere censemus, vt duobus de Capitulo adhibitis statuta, & Constitutiones Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, primo quoque tempore ita recognoscat, & corrigat, nihil vt in ijs relinquatur, quod sacris Canonibus, Constitutionibus Pontificijs, ac decretis Prouincialibus aduersetur.

Conc. Pr.1

De Parochis.

Quoniam ad spirituales progressus populorum plurimi interest nosse eos, quæ beneuolentia, obseruantia, cultus, obedientia Parochis debeatur, rogamus Episcopos, vt, cum primum ad Ecclesias, ouesque sibi commissas regendas venerint, litteras ad populos in eam sententiam scribant.

Conc. Pr.5

Parochorum vero diligentiam, quamuis vbique requirimus, in his tamen exactam seruandis, quæ infra descripta sunt, illos diligentissimos esse volumus.

Sine opportuna facultate, ac, nisi Sacerdote alio idoneo substituto, gregem ne deserant.

Conc. Pr.1

Mune-

Muneris, & officij sui nullam partem vel negligant, vel omittant. In omnibus sacramentis, atque in eo Pœnitentiæ præcipuè ministrando faciles se omnibus præbeant, ægrotos quotidie visitent; Missæ sacrificium diebus festis, & ter saltem in hebdomada celebrent.

Congregationes denique Patrum familias, in quibus de familia rectè, pieque instituenda agendum est, ineunte Aduentu, & Quadragesima habeant. Conc. Pr. 3

Quibus in locis propter populi multitudinem, neque Sacramenta ministrari, neque alia parochialia munera commodè obiri possunt, in ijs Episcopi, vel parochis administros adiungant, vel nouas parochias erigant. Conc. Pr. 1

Illamque præterea curam communem sibi cum parochis fore intelligant, vt veterem consuetudinē sepelliendi mortuos in Cœmeterijs reuocent.

Ad vsum vero, & locationem ædium Canonicorum, & Parochorum quod attinet, ijdem Episcopi curent, vt quæ eo de genere sancita sunt, ea inuiolatè seruentur.

De Seminario Clericorum.

Quantum adiumenti ad salutarem Ecclesiarum gubernationem constitutum sit, in Seminariorum Alumnis Episcopi illi intelligunt, qui se per eos magna parte oneris Episcopalium laborum leuari sentiunt. Cuius vtilitatis, vt Episcopi omnes participes esse possint, monentur in Domino, vt qui nondum instituerunt Seminarium Clericorum ad præscriptum Concilij Tridentini quamprimum instituant; in eoque clericos ad pietatem, atque ad litteras, præcipuè verò sacras, quam diligentissi- Sess. 23. ca. 18.

me informandos curent.

Ad alendos vero Clericos, & stipendia Præceptoribus, ministrisq; reliquis persoluẽda, beneficia simplicia Seminarijs, quæ nondum habent redditum, Conc. Pr. 5 Quinto Prouinciali Concilio constitutum, adiungant, atque vniant; ac nihil demum omittant quo tam vtile, tamque necessarium opus promouere, ac prouehere possint.

De examinatoribus.

Qui de rebus grauibus iudicium, & sententiam laturi sunt, ij nihil magis cauere debent, quam, ne quid gratiæ, vel odio tribuentes, vel corrupti largitionibus ab æquitate deflectant: à cuius suspicione culpæ tantò longius abesse decet Examinatores Ecclesiasticos, quantò fœdiore crimine peccantes se se obstringunt.

Igitur, qui ad examinandi munus delecti sunt, Conc. Pr. 5 tam integritatem ad illud ritè præstandum afferre cõtendant, vt occasione examinis, nihil prorsus, vel ante, vel post examen ipsum accipiant.

De Censuris.

Ad eos morbos, qui lenibus medicamentis curari non possunt, ferrum, atque ignis, quæ acriora remedia sunt, à peritis Medicis adhibentur. Eandem planè rationem in sanandis animarum vlceribus Ecclesia sequitur, quæ si quas spirituales plagas piarum cohortationum fomentis curare non potest, in eas formidanda censurarum tela distringit.

Hoc remedio cũ aduersus concubinarios tàm solutos, quàm coniugatos vti quandoque necesse sit, rogantur

rogantur Episcopi, vt etiã ex officio excommunicatione agant in eos, cogantq; concubinas eijcere, & ab illarum consuetudine omninò recedere.

Quos verò excommunicatos, interdictosve declarauerint, eos, nisi resipiscant, denunciari sæpius iubeant, vt inde pudore affecti ad Ecclesiam redeant. Conc. Tr.

Litteras monitoriales, quæ pro rebus furtim sublatis pœna excommunicationis adiuncta, dari consueuerunt, ipsimet Episcopi ita decernant, vt neque ex vulgari causa illas concedant, neque nisi re diligẽter ante perspecta. Conc. Tr.

De Visitatione.

Etiamsi minus necessarium fortasse videri queat Episcopis in memoriam reuocare decreta, quę ad ipsos visitationem obeuntes pertinent; quia tamen aliquando fit, vt propter importunitatem eorũ, quos habent in comitatu, graues, atque onerosi sint immodico sumptu Sacerdotibus, ad quos diuertũt; Ipsi etiam videntur vehementer monendi, vt frugalitatis, & modestiæ memores, neque mensam sibi parari lautius patiantur, neque pecuniam munusve vllum, aut ipsi, aut quisquam suorũ in Visitatione exigant, vel vltro oblatum accipiant.

De administratione bonorum Ecclesiasticorum, & piorum locorum.

Monendos statuimus Ecclesiasticos omnes, ad quos spectat, vt quæ de bonorum, & Iurium Ecclesiasticorum Inuentario conficiendo, de scripturis publicis comparandis, atque in Archiuio conser- Conc. Tr. & 2.

 uandis,

uandis, deque bonis ipsis non locandis, alienandisque, præterquam ad præscriptum Prouincialium Decretorum sancita sunt, ea omnia accuratissime præstent; Ab Episcopis autem enixe petimus, vt inuigilent, ne ea negligantur, quæ de recta piorum locorum administratione, de iuramento ab Administratoribus exigendo, de bonorum indice conficiendo, de præscripta formula in locatione eorundem bonorum seruanda, de implendis oneribus ex defunctorum, & fidelium voluntate; de ratione in sumptibus, & dispensatione rerum adhibenda, atque suo tempore reposcentibus reddenda; ac postremo de bonis sodalitatum, earumque gubernatione Superioribus Concilijs sancita sunt.

Conc. Pr. I. & 4.

DE COLLECTORIBVS *Eleemosynarum.*

QVotiescunque ex litteris Apostolicis eleemosyna, etiā pro locis, aut operibus pijs colligenda erit, ad scandala, corruptelas, & fraudes tollendas, quæ admissis externis hominibus ad id munus oriri solent; Statuimus, vt ij, ad quos Collecta pertinet, in qualibet Diœcesi personam deligant à loci Ordinario approbandam, quæ vel gratis, si fieri potest, vel constituta illi per Episcopum certa mercede, huiusmodi eleemosynam colligat.

Decernimus, ne Confratriarum Eleemosynarij admittantur; neve illis Episcopus quærendi facultatem concedat, nisi ex earum veteri instituto hospitalitatem actu exerceant, sitque hospitalitas talis, quæ Diœcesani iudicio facultatem huiusmodi mereatur.

So-

Societatem Charitatis, cuius institutum varijs huius Ecclesiæ instructionibus tantoperè commendatur, ad subueniendum infirmis, pauperibusque eiusdem Parochiæ, ad tollendas inimicitias, litesue componendas in Ecclesijs Parochialibus instituendam, erigendamvè ex præscripto earundem instructionum curent Episcopi; in quo tamen caueatur illud, ne in modum Confratriæ erigatur, sed personæ quantum fieri potest, ex nobilioribus laicis deligantur nonnullæ, quæ cum interuentu Parochi eandem societatem gubernent; quibus, vt in huiusmodi officia pietatis incumbant ardentius, permitti volumus, vt eleemosynas intra Parochiæ fines colligere possint. Quod idem de societatibus sanctissimi Sacramenti canonicè institutis decernimus.

Episcopus quærendi eleemosynas in sua Diœcesi potestatem cuiquam ne faciat, nisi ex publica causa, vt ad ægrotos hospitalium alendos, ad fabricandas seu reparandas Ecclesias, & ad loca pia erigenda intra fines Parochiæ, vel Plebaniæ, Vicariatusue vel Ciuitatis, & Diœcesis suo arbitratu: Nulla verò Societas, Scholave, aut locus pius, etiam prætextu hospitalitatis, sine concessu Episcopi scripto exarato eleemosynas quærere præsumat, proposita pœna priuationis eleemosynarum quascunque collegerit, atque alia grauiori Episcopi arbitrio infligenda.

Vt autem in eleemosynis colligendis turpis quæstus suspicio omnis penitus auferatur, curent Episcopi, ne collectæ cuiusuis generis vlli locentur, vendanturve, aut cum ratæ participatione concedantur, quamuis tales sint, qui prætextu etiam consuetudinis, quæ corruptela potius dici debet, alijs ho-

minibus se vendere, locare, vel cum ratæ participatione eas concedere posse contendunt.

Episcopus, eiusve Vicarius quærendi eleemosynas facultates, ne proroget, nisi, qui prorogationem petiuerint, testificationem à Vicarijs foraneis, in quorum Plebe diuersati sunt, subscriptam de vita & moribus afferant.

Regulares extra claustra degentes, quibus nullum ius competit eleemosynas colligendi, illas sine Episcopi facultate scripto concessa ne quæritent, pœna suspensionis à diuinis incurrenda proposita.

Hospitijs porrò, vbi duo tantum degunt, nempè Sacerdos, & socius, modò ne alterius Monasterij Collegiati nomine, vbi obseruantia vigeat, cuius illa membra sint, eleemosynam colligant, locorum Ordinarij eleemosynas quærere ne permittant, præterquam intrà fines illius loci, vbi huiusmodi hospitia sita sint.

Episcopus in sua Ciuitate, & Diœcesi eleemosynarum collectores ex aliena Diœcesi, quacunque ex causa, & quibuscunq; patentibus litteris muniti accedant, nisi illæ Pontificiæ sint, iuxta decretum Cōcilij Prouincialis primi, nullo modo admittat. Si quos autem ità, vt dictum est, quæritantes repererit, eos etiam carcere possit mulctare.

De Societatibus, & Scholis.

SAcrosancti Concilij Tridentini, & Prouincialibus decretis iubentur Episcopi monere populū, vt ad suam quisque parochialem Ecclesiam Dominicis saltem, festisque diebus conuenire debeāt, & eam crebrò frequententent, ibique, vbi commode

id

id fieri poterit, Missas, vt iure cautum est, audiant. Quamobrem Nos tam salutare documentum exequi cupientes, prohibemus in posterum Dominicis, festisque diebus in Oratorijs, maximè verò quarumlibet Sodalitatum, Missæ sacrificium celebrari; præterquàm tempore, atque hora ab Ordinario præscribenda; iubemusque Confratres omnes, postquàm in suis Oratorijs Officium Beatæ Mariæ Virginis tantum, & submissa voce legendo, non autem canendo recitauerint, ad suam quemque Parochialem Ecclesiam statis illius diebus itidem, vbi id fieri commodè poterit, accedere, ibique Missam audire: Vesperas item in ijsdem Oratorijs celebrari eo tempore prohibemus, quo in Parochialibus Ecclesijs celebrantur, vel Doctrina Christiana ibidem docetur, vt alijs etiam decretis Prouincialibus cautum est.

Parochis igitur omnibus, Ecclesiarumque Rectoribus, etiam Episcopo non subiectis, inhærentes Constitutioni Clementis VIII. nuper hac de re editæ volumus interdictum, vt ne laicorum hominum vllam Societatem erigi patiantur, nisi Ordinarij consensus præcesserit, & ab eo facultas scripto fuerit impetrata pœna suspensionis proposita, cui ipso facto obnoxius censeatur, alijsque Episcopi arbitrio inferendis. Si quæ verò in posterum Sodalitates sine consensu huiusmodi instituentur, eæ nullæ omninò sint, ac spe facultatis obtinendæ planè careant.

Ne permittat Episcopus, vt suæ Ciuitatis, & Diœcesis Sodalitates, etiam laicales, Confratriæ nuncupatæ, Archiconfraternitatibus Romæ, aut alicubi existentibus aggregētur, nisi prius eas canonicè fuisse erectas legitimè constet, eiusdemq; planè insti-

instituti esse appareat, in quo laudabiliter etiam vtiliterque versentur; nec suum cuiquam Societati consensum præstet, nisi litteris exaratum ex præscripto Constitutionis Clementis Octaui nouissimè editæ.

Quamquam verò eadem Constitutione Societatibus concessum est, regulas, & statuta Archiconfraternitatum, quibus illæ aggregatæ sunt, habere; ijs tamen vti ne audeant, nisi illa prius Episcopus recognouerit, ijsdemque vtendi facultatem dederit, ad præscriptum eiusdem Constitutionis. Interim vero statuta, & regulas Prouincialibus, & Synodalibus Constitutionibus, & cuiusque Episcopi decretis præscriptas seruent, & exequantur.

Sciatque Episcopus eadem Constitutione Pontificia prohiberi, ne Societas vni Archiconfraternitati aggregata, alteri aggregetur: neve Archiconfraternitas vna aggregata in eadem Ciuitate, & oppido, aggregare alteram possit, vt quemadmodum Archiconfraternitas in Vrbe, seu alibi vnica est per erectionem, ita vnica etiam sit in quauis Ciuitate, vel oppido per aggregationem.

Episcopus, qui Sodalitatem aliquam in suæ Ciuitatis, seu Diœcesis Ecclesijs, Oratorijsve erigi, vel institui, iudicauerit expedire, consensum antè ne præstet, quàm erectionis, & institutionis vi priuilegiorum faciendæ instrumentum, cui consentire in animo habet, exhibeatur. Illud verò diligenter inspiciat, & mature consideret, ne conditiones, pacta, aliave huiusmodi complectatur, quæ in priuilegijs Apostolicis nō exprimatur, quæque ad turpis lucri rationem proxime videantur accedere.

Confratriæ, quæ non Ecclesijs, nec in Capellis, &

& Oratorijs institutæ sunt, aut in posterum de licentia Episcopi statuentur, suis oneribus omnino satisfaciant, aut in propria Parochiali, aut in Ecclesijs intra eius Parochiæ fines ab Episcopo designatis, nisi aliter à testatoribus statutum reperiatur.

Confratres quicunque, & quocunque nomine appellentur, funus vllum comitari, atque associare ne possint, nisi, qui mortuus est, vnus sit ex ipsis Confratribus, vel facultatem scriptam ab Ordinario impetrauerint: quibus etiam casibus nihil consequantur.

In Confratrum Oratorijs, Ecclesijsve feria quinta, & Sabbato maioris hebdomadæ Missa ne celebretur: neve cuiquam, atque adeò ne ipsis quidem Confratribus, à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, vel in solemnitatibus Natiuitatis D. N. Iesu Christi Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, Eucharistiæ Sacramentum ministrare liceat; neve vllæ benedictiones candelarum, ramorum oliuæ, ouorum, aliarumve nouarum frugum ad Parochi functionem spectantes habeantur: Si quis verò Sacerdos prædictis diebus, & locis celebrare, vel sic, vt præfertur, benedicere non dubitauerit, pœnam suspensionis à diuinis eo ipso incurrat: Confratres autem Episcopi arbitrio puniantur.

Processiones, supplicationesve obire, quacunque ex causa, præterquam diebus, & horis ab Ordinario loci præscriptis, & adhibito Sacerdote, ad formam Concilij Prouincialis Quinti, nullo modo audeant, Cum verò processionaliter in publicum prodeunt, Crucem, quæ per Clericos Regulares, & Seculares præferri solet, ipsi omninò ne deferant;

sed

sed sanctissimi Crucifixi, alicuiusve Sanctorũ imagines gestent.

Quod Concilio Prouinciali Quarto decretum est, ne qua Confratrum Societas Officialium electionẽ coram Ecclesiastico faciendam vltrà tempus eorum regulis præfinitum differat, id inuiolabiliter obseruetur, præterquàm si dilatio iustis ex causis à loci Ordinario concedatur: Alioqui quæcunque in suis illis Conuentibus post elapsum pręscripti temporis spatium statuerint, irrita, & nulla esse censeantur.

Anniuersaria, & quæ septimo, trigesimove ab obitu die celebrari officia solent, ea nõ in Ecclesijs, Oratorijsq; Confratrum, sed in Parochialibus celebrentur; nisi fortè Ecclesiæ illæ, atque Oratoria sepulturæ ius habeant, ibiq; sepultum sit cadauer illius, pro quo officium fit; ac tum quoque non nisi præsente Parocho celebrentur, qui Officium peragat, & duplicatam eleemosynam consequatur.

Quemadmodum iure cautum est, ne Regulares, qui ex priuilegio sepeliendi ius habent, fideles inuitent, eisq; persuadeant, vt sibi sepulturæ locũ in eorum Ecclesijs deligant, proposita pœna excõmunicationis latæ sententiæ: ità nos eadem pœna eo ipso incurrẽda proposita prohibemus, ne Confratres, quibus item ex priuilegio in suis Ecclesijs sepelire permissum est, quemquam Cõfratrem inuitent, eiq; hoc ipsum vel expresse, vel tacitè persuadeant, ea item mulcta addita, vt quidquid inde detrimenti ceperit Ecclesia Parochialis, aliave, cui sepeliendi ius competebat, & Parochus pro tempore existens, id totum integrè, cumulatèque resarciant. Hoc verò decretum Parochus, si expedire iudicauerit, saltem semel in anno euulget.

In Ecclesijs, & Oratorijs Confratrũ Sanctissimũ

Sacramentũ Euchariſtiæ ne aſſeruetur. Quòd ſi Epiſcopus aliter faciendum cenſuerit, id ità fiat, vt ibi Sacerdos ab Ordinario approbatus reſideat: Nolumus tamen aut Proceſſionem Sanctiſs. Sacramenti, aut Orationes quadraginta horarum ibi haberi, ſine Epiſcopi facultate ſcripto conceſſa. Pſalmodiam, aliasq; funebres precationes ad mortuorũ corpora recitare, thurificationem adhibere, luſtraliq; aqua aſpergere laicis Confratribus omnino ne liceat.

De Monialibus.

MEminerint Epiſcopi Monaſteriorum clauſuram ſub obteſtatione diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, ſuæ curæ, & diligentiæ commiſſam eſſe, atque adeo debere ſe, tanquam rationem Domino reddituros omnem diligentiam adhibere, vt iuxta decretum Concilij Tridentini in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis, Ordinaria, in alijs verò, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, illã nõ modo reſtituatur, ſi violata fuerit, ſed vbi inuiolata eſt, maximè cõſeruetur.

Quo circa ſingulis annis, aut ſaltem altero quoque, Monaſteriorum omnium, etiam Regularibus ſubiectorum clauſuram viſitare quàm diligentiſſimè ſtudeant.

Si qua verò Monialis pertinaciter repugnauerit, & clauſuræ reſtitutioni, aut cõſeruationi cõtradixerit, per cẽſuras Eccleſiaſticas ab Epo compeſcatur.

Statuimus nequis Epiſcopus facultatem ingrediẽdi intra ſepta Monaſteriorũ Monialiũ aliter quàm ſcripto & ex vrgenti, neceſſariaque cauſa cuiquam concedat; Quemadmodum Pontificia conſtitutione cautum eſt. Si quis vero Eccleſiaſticus, aut laicus

absque prædicta Episcopi, eiusve Vicarij Generalis licentia prædictorũ Monasteriorũ clausuram ingredi præsumpserit, pœnam excõmunicationis eo ipso incurrendã decreto Tridentino, & Pontificijs Constitutionibus, itemque decretis sacræ Congregationis propositam subeat: alijsque pœnis etiam pecuniarijs respectiue Episcopi arbitratu plectatur.

Episcopus in Visitatione clausuræ Monialium, et earũ, quæ Regularium iuri, curæque subiectæ sunt, facultates ad Monasteria accedẽdi, eorumque septa ingrediendi, quas Monasterij Præfecta accurate asseruare debet, illasque Episcopo visitanti, si postulauerit, exhibere, vt Concilij Prouincialis decreto sancitum est, diligenter inspiciat, & recognoscat.

Quærat etiam ex singulis Monialibus, vt eodem Concilio cautum est, An clausura inuiolate custodiatur, & decreta, quæ ad illam pertinent, obseruentur.

Si quem marem, fœminamve intra septa Monasterij, sine facultate Episcopi ab Abbatissa, Priorissave admissum fuisse compererit, grauiter in eas animaduertat, pœnisque ac censuris etiam suspensionis ab officio, & priuationis omnis suffragij, alijsque arbitratu suo, easdem afficiat, præter censuras, & pœnas Gregorij XIII. constitutione statutas.

Pœnis item, censurisque agat in eas, si quem in locum collocutionis, sine licentia Episcopali, ad colloquendum admiserint, vt Concilio Prouinciali sexto constitutum est.

Nullus igitur Clericus, etiam Regularis, laicusve, siue mas, siue fœmina, vt eodem Concilio, & litteris sacræ Congregationis præscriptum est, sine facultate Episcopi, eiusve Vicarij, ad Monasteria Monialium, ne prætextu quidem inuisendi, & alloquendi puellas, accedat.

Nulli

Nulli item Regulari liceat sine facultate Sacræ Cōgregationis,vt ab ipsa decretū est,ad vlla Monasteria, quamcunque ob causam, accedere. Qui contrafecerit, pœnis ab eadem sacra Cōgregatione Regularium impositis (ipso etiam Episcopo curante) plectatur.

Superiores,quorū curæ sanctimonialiū Monasteria commendata sunt; ineunte Anno, transmittere oportet ad Episcopum eorū omniū Regulariū indicem,qui vel Confessarij, vel alterius officij munus necessariū in ijsdem obire debent.Si quos autem postea mutari contigerit,eorum,qui substituentur, nomina nihilominus ad Episcopum sunt deferenda.

Vt verò clausuræ periculo, quod ex frequenti accessu ad Monasteria, atque ex ingressu intrà eorum septa,potest existere,occurratur, Prouinciali decreto statutum est,vt singuli Prouinciæ huius Episcopi intra duos menses, & deinceps quotannis Edicto Episcopali, quæ de clausuræ custodia cauenda sunt, euulgent. Quod præceptum executioni mandare volentes, Edictum, quod vniuersæ Prouinciæ commune sit,in præsenti Concilio edi, idemque vulgari lingua quotannis promulgari decernimus.

Monialibus item etiam Regulariū curę subiectis, ea, quæ ad clausuram pertinent,edici statuimus.

De petenda nomine Concilij Prouincialis Septimi Mediolanensis Canonizatione B. Caroli.

EX omnibus causis,quæ nos ad celebrandum septimum Prouinciale Conciliū impulerunt, ea sanè præcipua fuit, vt in hoc nostro Conuentu communicatis sententijs quæreretur, agendum ne esset à nobis cum Summo Pontifice de CAROLO Cardinali

dinali S. Praxedis piæ mem. Archiepiscopo in Sanctorum numerum referendo. Quapropter vbi primum congressi fuimus, tum precibus à Deo vehementer contendimus, vt nostræ omnes cogitationes, & consilia ad eam deliberationem dirigerentur, quę cum gloria sui nominis magis coniuncta essent futura, tum omnes tantæ rei partes aliquot dierum diligenti consultatione discussimus. Demum verò, cum quot quantaq; fuerint vigilantissimi illius Pastoris merita in vniuersam Ecclesiam, atque in hanc præcipuè Prouinciam, considerauerimus, (Ecclesiastica disciplina per illum egregiè restituta, emendatis magna ex parte moribus populorum, rebusq; aliis salutaribus, & ad spiritualem gubernationem vtilissimis institutis) non putauimus committendũ, vt à nobis Comprouincialibus Episcopis, qui ab eo pluribus firmisq; præsidijs ad nostrum munus ritè gerendum instructi essemus, illud officium omitteretur, quod præter alios Minorum ordinũ, viri etiã Principes, & maximi Reges tàm alacriter suscepissent. Igitur cùm ea omnium nostrum sententia fuerit, vt hac de re per nos etiam Summus Pontifex primo quoque tempore rogaretur, statuimus, ac decernimus, vt duo ex Reuerendiss. Episcopis Comprouincialibus, in proximè futura Sessione, votis cõmunibus deligantur, qui nostro nomine Suæ Beatitudini quàm humillimè supplicent, vt quem Antistitem de hac Prouincia, atque adeò de tota Christiana Republica tàm præclare meritum esse scimus, quemq; omnes passim mirificè colunt, cum ipsa Cathalogo Sanctorũ ex Ecclesiæ ritu velit adscribere.

DE-

DECRETVM ELECTIONIS

Reuerendissimorum Episcoporum Nouariensis, & Casalensis.

Ad peten. Canonizationem B. CAROLI nomine Concilij Prouincialis Septimi Mediolanensis.

CVM in secunda sessione huius septimi Concilij Prouincialis publico decreto sancitum fuerit, vt ad petendam B. CAROLI Canonizationem nomine eiusdem Concilij duo ex Reuerendissimis Episcopis Prouinciæ deligerentur: Idcircò, inuocato prius, vt par est, Diuino auxilio, ac habita superinde diligenti consultatione, ad id muneris cum Sanctissimo, & quibus cum opus fuerit, obeundum, Reuerendissimos DD. Carolum Episco-

pum Nouariensem, & Tulliũ Episco-
pum Casalensem omni meliori ra-
tione eligimus; & deputamus.

Subscriptio Cardinalium, & Episcoporum Prouinciæ Mediolanensis, qui huic Concilio interfuerunt.

NOS Federicus S. R. E. Presbyter Cardinalis Borromæus Tit. S. Mariæ Angelorum Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis de Consilio & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorũ definientes subscripsimus.

Licet conciliaribus decretis infirmitate detentus minime interfuerim, vt tamen Illustrissimi Archiepiscopi, ac Reuerendiss. Episcoporum iuditio

iuditio quantum debeo deferam, quos pro summa eorum pietate, prudentia, atque doctrina mihi persuasum esse debet, nihil statuisse, quod non omnibus probari possit, ideo illis subscribendum mihi esse putaui.

Ego Paulus Episcopus Cremonensis S. R. E. Cardinalis scripsi & me subscripsi.

Ego Ludouicus Episcopus Lauden. cõsentiens subscripsi.

Ego Mapheus Episcopus Derthonensis consentiens subscripsi.

Ego D. Io. Baptista Episcopus Bergomi consentio, & subscripsi.

Ego Carolus Episcopus Nouariensis consentiens subscripsi.

Ego Marsilius Lãdrianus Episcopus Vigleuanen. consentiens subscripsi.

Ego Tullius Episcopus Casalen. con-

sentiens subscripsi.

Ego Marinus Episcopus Brixiæ consentiens subscripsi.

Ego Io. Stephanus Episcopus Asten. consentiens subscripsi.

Ego P. Georgius Odescalcus Episcopus Alexandrin. consentiens subscripsi.

Ego Camillus Aquen. Episcopus consentiens subscripsi.

Ego Io. Stephanus Episcopus Vercellen. consentiens subscripsi.

Ego Stephanus Episcopus Vintimilien. consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Albæ consentiens subscripsi.

Ego Ioannes Baptista Ferrus Canonicus Sauonen. Multum Illustris, & Reuerendiss. D. Petri Francisci Episcopi Sauonen. & Nuntij Apostolici pro Sanctissimo ad Serenissimum

mum

mum Ducem Sabaudiæ ad id procurator ſpecialis eius, & Eccleſiæ ſuæ nomine omnia, & ſingula in ſeptima Synodo Prouinciali Mediolanen., Acta, Decreta, edita & promulgata recipio &c.

Confirmatio Decretorum Concilij Prouincialis VIJ. Mediol.

PAVLVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Supremæ Sedi per abundantiam cœlestis gratiæ præsidẽtes, sollicito vigilare tenemur affectu, vt omniũ Ecclesiarũ status ad Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ disciplinę normam compositus suorum commendet vigilantiam Rectorum, dum bene disposita diligẽter custodiunt, & repræhensioni obnoxia salubri corrigunt medicina. Et ideo si quæ ab illis pro pastorali munere prouide, ac laudabiliter ordinãtur, vt ab omnibus obseruentur, libenter prouidemus prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane cum sicut accepimus in Prouinciali Synodo Mediolanensi septima, quæ iussu nostro à Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilij Tridentini Interpretibus de more diligenter recognita, & vbi oportuit immutata, cuius authenticum exemplar penes ipsos asseruari mandauimus, Dilecto filio nostro Federico Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato, qui etiã Ecclesiæ Mediolanen. ex concessione, & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, illi præsidente, quamplura saluberrima Statuta, & Decreta pro Ecclesiasticæ disciplinæ S. CAROLI multis laboribus, & vigilijs restitutæ conseruatione, & restitutione ad mores dilectorum filiorum Cleri, & Populi totius Prouinciæ Mediolanen. reformandos pertinentia, & præsertim ad locum, tempus, modum, aliasq;

circumstantias in Ecclesiasticorum Sacramētorū administratione, Missarum, & diuinorum officiorum celebratione obseruanda, ad Sepulturas, Funeralia, processiones, indulgentias, festorum dierum cultum, verbi Dei prædicationem, ad Doctrinam Christianā, vitæ honestatem, bonorum, & iurium conseruationē; necnon fructuum, reddituum, & prouentuum Ecclesiasticorum dispensationem, Iudices, Conseruatores, Cōfraternitates, & Scholas, eleemsoynarum collectores, noua ædificia, & Imagines, Ecclesiarum beneficia, Ecclesiasque collegiatas, legata pia, & Moniales pastorali charitate, ac prudentia vtiliter ordinata fuerint, & idcirco ab omnibus, præsertim diuinis Ministerijs adscriptis seruari magnopere expediat: Nos propterea pro nostri Pastoralis officij debito omnia impedimenta remouere volentes, quæ earūdē ordinationum, & statutorum communem omnium in dicta Prouincia obseruantiam retardare, aut impedire possent, quantum cum Domino possumus prouidere, ac totos statutorum, & decretorum præfatorum, documentorumq; desuper confectorum, & inde sequutorum tenores, de quibus ab ijsdem Cardinalibus plenè edocti fuimus, præsentibus pro sufficienter expressis habentes. Motu proprio, & ex certa scienta nostra omnia, & singula Statuta, Ordinationes, & Decreta in Prouinciali Synodo Mediolanen. sic, vt præfertur, edita, & publicata, ac prout illa concernunt alia in dictis documentis contenta in omnibus, & singulis Ecclesijs, Monasterijs, Prioratibus, Præposituris, Hospitalibus, & alijs pijs locis Ecclesiasticis, secularibus, vel etiā regularibus cōmendatis etiā nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, etiā nullius Diœcesis, aut aliter quomodocunq; exemptis in vniuersa Prouincia pręf. constitutis, ac per quoscunq; ea-

rumdē Ecclesiarum & locorũ Prælatos, Abbates, Priores, Prępositos, Rectores, Superiores, Ministros, Capitula, Canonicos, ac personas seculares, aut illa ex concessione, vel dispēsatione Apostolica in Commendā, aut administrationē obtinentes, etiam si d. Sedis Notarij, Accoliti, Capellani, & Romanæ Curiæ officiales, etiam officia sua actu exercentes, etiam familiares nostri, & continui Commensales etiam veri, & antiqui, aut alias in nostris, seu Vener. fratrũ nostrorum S. R. E. Cardinalium, & præfatæ Sedis seruitijs, & obsequijs insistentes existant, quos omnes ratione beneficiorum quorumcunque personalem residentiā requirentium in dicta Prouincia per eos quomodolibet obtentorum, & obtinendorum sub sententijs, censuris, & pœnis à Concilio Tridentino, alijsq; sacris Canonibus contra non residētes latis, & impositis ad personalem residentiam districtè per locorum ordinarios, seu eorum in spiritualibus Vicarios generales dictæ Prouinciæ cogi, & compelli volumus, nec eis Constitutionem fel. record. Eugenij Papæ IIII. prædecessoris nostri in fauorem Cardinalium dictæ Sedis editam, aut quæcunque priuilegia & indulta Apostolica etiam per nos ad id illis in genere, vel in specie quomodolibet concessa desuper suffragari intelligimus, vel alias quomodolibet exēptos, ac nobis, & dictæ Sedi, vt præfertur, immediatè subiectos, etiamsi nullius Diœc. esse dicantur; dummodo tamen de prefata Prouincia existant, cuiuscũque dignitatis, status, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint in omnibus, & per omnia integrè, & sub sentētijs, censuris, & pœnis in eis forsan contentis, recipi, & admitti, & obseruari, præstari, & debitæ executioni demandari, nec quempiam, se ab eorum obseruatione cuiusuis exemptionis, immunitatis, priuilegij, vel alio prætex

tu

tu excusare debere, Apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuò statuimus, & ordinamus; dictaque Prouincialia statuta, ordinationes, & decreta ad Ecclesias, Monasteria, vel alia loca, ac eorum Superiores, Capitula, & alias personas seculares huiusmodi extẽdimus, & ampliamus. Vniuersis earũdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, aliorumq; locorum Prælatis, Superioribus, & Capitulis præf. in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandantes, quatenus eadem Prouincialia statuta, ordinationes, & decreta iuxta eorum formam, & tenorem in suis Ecclesijs, Monasterijs, & alijs locis publicent, & publicari, ac per eorum Capitula, Canonicos, aliasque personas seculares huiusmodi integrè obseruari faciant, alioquin si super hoc per locorum Ordinarios moniti in præmissorum executione, & obseruatione cessauerint, illamuè locorum ordinarij distulerint, seu alias neglexerint, ipsum Metropolitanum, vel generalem eius in spiritualibus Vicarium, negligẽtiam, seu dilationem dictorũ Ordinariorum omnino supplere volumus, committimus, & mandamus, nec non eosdem Superiores, Prælatos, & Commendatarios, Capitula, Canonicos, & personas seculares præfatas ad præmissorum omnium obseruationem teneri, & efficaciter obligatos esse, censurisq;, & pœnis tam Ecclesiasticis, quàm pecuniarijs præfati Federici Cardinalis; ac pro tempore existentis Archiepiscopi Mediolanen. aut eius in spiritualibus Vicarij generalis arbitrio moderandis, & applican. ad id compelli posse, sicq; per quoscunque Iudices, & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari & definiri debere, ac irritũ, & inane quicquid secus

super

ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus, exemptionibus,& immunitatibus, alijſq; præmiſſis, necnō Eugenij papæ IIII. prædeceſſoris huiuſmodi in fauorem Curialium d.Sedis edita, alijſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,necnō Eccleſiarum,& locorum præfatorum Iuramento,confirmatione Apoſtolica,vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs, quoque indultis, & litteris Apoſtolicis illis, eorumq; Prælatis,Capitulis,Superioribus,& perſonis,alijſque præmiſſis ſub quibuſcunq; tenoribus,& formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarū derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis, etiam iteratis vicibus etiam per nos quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica,expreſſa,& indiuidua, ac de verbo ad verbum,non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent; præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter,& expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die vij. Septembris. M. DC. XII. Pontificatus noſtri Anno octauo.

Scipio Cobellutius.

PAV-

PAVLVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Commissi nobis Dominici Gregis quamuis nullo nostrorum suffragio meritorum exigit cura, vt omnium Ecclesiarũ Regimini pastoralem sollicitudinem impēdamus, ac proinde quæ pro Ecclesiasticę disciplinæ conseruatione, & restitutione prouidentia Pastorum salubriter statuuntur, vt ab omnibus inuiolabiliter obseruentur Apostolica auctoritate prouidemus prout in Domino salubriter conspicimus expedire; Cum itaque sicut accepimus in Prouinciali Synodo Mediolanen. Septima, quæ iussu nostro à Venerab. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilij Tridentini interpretibus de more diligenter recognita, & vbi oportuit immutata fuit, & cuius authenticum exemplar penes eosdem Cardinales asseruatur, Dilecto filio nostro Federico Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum in Termis Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato, qui etiã Ecclesiæ Mediolanen. ex cõcessione, & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur illi præsidēte quamplura saluberrima Statuta, & Decreta ad conseruandam, & restituendam Ecclesiasticam disciplinam à Sancto CAROLO multis laboribus, & vigilijs restitutam ad locum, tempus, modum, aliasque circunstantias in Ecclesiasticorum Sacramentorum administratione, Missarum, diuinorumque officiorum celebratione obseruãda, ac Indulgentias, sepulturas, funeralia, processiones, verbi Dei Conciones, seu Prædicationes, Festorum Dierum cultum, eleemosynarum Collectionem, bonorum, & iurium Ecclesiasticorum conseruationem, Iudices, Conseruatores, Societates, seu Scholas, Monialesque pertinentia Pastorali pietatis zelo sapienter ordinata fuerint, eaque tan-

tanquam plurimum vt illa, & apprime laudabilia ab omnibus Dei Ministris tam regularibus, quàm secularibus, æqualiter expediãt obseruari. Hinc est quòd nos totos statutorum, & decretorum præfatorum, documentorumque desuper confectorum, & inde secutorum tenores, de quibus ab eadem Congregatione plene edocti fuimus, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, omnia, & singula statuta, ordinationes, & decreta suprascripta in Prouinciali Synodo Mediolanen. sic vt præfertur, edita & publicata, ac prout illa concernunt præfata in dictis documentis contenta in Mediolanensis Ciuitatis Diœcesis & totius Prouincię omnibus, & singulis Regularium personarum vtriusque sexus Ecclesijs, Monasterijs, domibus, quorumcunq; etiam Cistercien. Humiliatorum Ordinum, & alijs regularibus, locis, etiam nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis etiam nullius Diœc. in vniuersa Prouincia præfata cõstitutis, ac per quoscũque Ecclesiarum, Monasteriorũ, Domorum, & aliorum Regularium locorum huiusmodi Superiores, & generales ac illorum vtriusque sexus personas districte obseruari volentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, eidemque Federico Cardinali per præsentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & singulos dd. Ecclesiarum, Monasteriorum Domorum, & Regularium locorum Superiores etiã generales, & personas Regulares, & exemptas vtriusque sexus, vt infra sex menses post præsentium publicatonẽ omnibus, & singulis Statutis, Ordinibus, & Decretis præfatis realiter, & cum effectu parere debeant, auctoritate nostra moneat, & requirat, & si ipsi sic moniti, vt præfertur, parere in omnibus, vel in aliquibus distulerint, vel neglexerint dictus Federicus Cardinalis post lapsum dd. sex mensium nobis

quam-

quamprimum significare, & referri curet, vt opportunum desuper remedium prout nostro incumbit officio, in his quanto citius adhibere valeamus. Non obstan. exemptionibus, & immunitatibus, alijsque præmissis, & Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiasticorum locorum, Monasteriorum, domorum, eorundem Superiorum, & ordinum præfatorum, etiam Iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis illis eorumque Prælatis Superioribus etiā generalibus Conuentibus & personis, alijsq; præmissis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs Decretis, etiam iteratis vicibus etiam per Nos quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa, & indiuidua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma adhoc seruanda foret, tenoris huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis sortitis obseruata inserti forent præsentibus pro sufficiēter expressis, & insertis habētes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Marcū sub anulo Piscatoris die vij. Septembris M.DCXII. Pontificatus nostri anno octauo.

Scipio Cobellutius.

NOS

NOS FEDERICVS Borromæus Miseratione diuina S.R.E. Tit. S.Mariæ Angelorū Presbyter Cardinalis, & S.Mediol.Ecclesiæ Archiepiscopus, ex mandato, quod à Sanctiss. D. N. Paulo Papa V. superioribus hisce proximis litteris die septima Septembris datis habuimus Apostolica per easdem auctoritate Nobis attributa, omnes, & singulos Ecclesiarum, Monasteriorum, & Regularium, quæ in nostris Ciuitate, Diœcesi, & Prouincia Mediolanen. cōstituta sunt, locorum superiores, etiam Generales, & personas regulares, etiam exemptas, vtriusque sexus requirimus, ac semel, iterum, tertio, trinaq; hac, & canonica monitione præmissa monemus, vt quæcunque Statuta, Constitutiones, & Decreta hac Prouinciali Synodo à Nobis confecta, eisdem litteris expressa continentur, illis infrà sex mensium spatium, postquam in lucem edi

ta

ta ſunt, re ipſa omninò obtemperent. Quod ſi qui ex iis facere neglexerint, aut diſtulerint, eos omnes, & ſingulos monitos eſſe volumus, tranſacto eorundem ſex menſium termino, id nos, vt in mandatis habemus, Sanctiſſimo D. N. quamprimùm ſignificandum, & referẽdum curaturos, quo eius Sanctitas pro ſummo ſuo Paſtorali officio, & ea ſingulari, qua tenetur conſeruandæ, & reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ cura, ac ſolicitudine, oportunum huic rei remedium, ea, qua ſolet, vigilantia adhibeat. In quorum &c. Dat. Mediolani in Aedibus noſtris Archiepiſcopalibus die 13. *Decembris* 1612.

Fed. Card. Borromeus Archiep.

Ludouicus Barbauaria Can. Ord.
& Cancell. Archiepiſc.

Con-

Concordat cum originali.

P*Ateat insuper vniuersis, & singulis præsentes inspecturis, pariter, & lecturis Decreta, & Constitutiones Septimæ Prouincialis Synodi Mediolanen. necnon Sanctissimi D. N. D. Pauli Papæ Quinti litteras extensionis eorundem Decretorum, & Constitutionum ad Regulares, & exemptas Prouintiæ Mediolanen. vtriusque sexus personas monitionemq; ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. D. Federico Cardinali Borromæo, & Sanctæ Mediolanen. Ecclesiæ Archiepiscopo supranominatis personis factam pro executione earundem Apostolicarum litterarum edita, promulgataq; fuisse per affixionem valuis Metropolitanæ de more factam die Iouis, qui dies fuit tertio nonas mensis Ianuarij anni 1613. prout ex actis apparet &c. In quorum fidem & testimonium subscripsi.*

Ego Ludouicus Barbauaria Sanctæ Mediolanen. Ecclesiæ Canonicus Ordinarius, Notariusque, & Cancellarius Archiepiscopalis.

EPISTOLA SYNODALIS AD PAVLVM QVINTVM

Pont. Max.

Pro B. CAROLI Cardinalis S. Praxedis Canonizatione.

Beatissime Pater.

AD eas causas, quas Episcopi Prouinciæ Mediolanen. multas, & graues habebamus Prouinciale Concilium celebrandi, illa etiam cùm accessisset, quæ nobis quandã quasi necessitatem imponeret obsequendi non occultis amplius votis, sed apertis iam postulationibus populorum nostrum officium requirentium; multo, quàm aliàs fecissemus, promptiores, alacrioresq; conuenimus, intelligentes ad eam nos consultationem vocari, quæ minimũ difficultatis, plurimum verò dignitatis habitura esset. Neque enim dubitari videbatur posse, quin per crebescente quotidie magis apud omnes opinione sanctitatis CAROLI Cardinalis S. Praxedis piæ me. Archiepiscopi, quemadmodum vnà est cunctorum propè fidelium vox de ipsius virtutibus prędicantiũ, ità vna, eademq; esset omnium nostrum futura sententia de roganda Vestra Batitudine, vt illum ad Sanctorum numerum vellet adscribere, Nec sanè aliter

Digitized by Google

accidit, atque ab initio cogitauimus, nemo quippè fuit, qui nō id quam primum, & quam studiosissimè faciendum putauerit. Nam præter ea, quæ passim de ipsius sanctimonia certo, constantiq; rumore prædicantur plerique ex nobis, quibus cum eo, dum viueret, vsus aliquis familiaritatis, & necessitudinis intercessit, tam multa, tamq; admiranda nostris ipsi oculis vidimus, vt iam tum maximis virtutibus cumulatum crederemus. Enimuerò summa in eo erat vigilantia Pastoralis, assiduitas orationis, abstinentia, vitæq; totius asperitas, incredibilis in adhortando mansuetudo, in reprehendendo seueritas, in periculis pro salute animarum, & propagatione Catholicæ fidei subeundis animi constantia singularis, in pauperes liberalitas, vsque eò profusa, vt ad illorū inopiam subleuandam suam etiam omnem domesticam supellectilem semel iterumq; vendiderit, charitate erga omnes, patientia, misericordia, humilitate, studioq; diuinarum rerum ita excelluit, vt veteres illos sanctissimosq; Episcopos imitando expressisse meritò iudicetur. Quod nobis Ecclesiasticam disciplinā huius maximè Ciuitatis per ipsum mirabiliter restitutam hoc tempore intuentibus multò etiam clarius fit. Quocunque enim oculos circumferimus, huius rei non vestigia modò, sed monumenta etiā excitata spectamus, amplissima. Templa nimirùm exquisito cultu, & nitore fulgentia, Seminaria, & Collegia ad iuuentutem bonis moribus, & litteris imbuendam salutariter instituta, Monasteria sacrarum Virginum, atque alia pia loca optimis legibus, institutisq; munita, Scholas denique Doctrinæ Christianæ tanta docentium, & discentium frequentia celebres, quantam quisquam vix credat. Quo minus mirandū est, cum virum, cuius tam illustria fuerint omnium exem-

pla

pla virtutū in vita, post obitum tacito primùm populorum consensu manifestis, deinde pietatis in ipsum significationibus paulatim sic coli fuisse cœptum, vt si alia deessent omnia, quæ tamen plurima sunt, eius sanctitatis argumenta certissima, in hoc vno non exiguum videatur esse momentum ad beatitudinem ostendendam, qua ille fruatur in Cœlo. Frequentatur ab hominibus omnium ætatum, atque ordinum sepulcrum ipsius, multisq; ibi cereis faculis assiduè collucentibus, votiuis tabellis, & omnium denariorum genere cumulatur, ad testificandam memoriam beneficiorum, quæ alij alia se à Deo per ipsum accepisse fatentur, & prædicant; quorum iam tantus est numerus, non vt hanc modò Prouinciam, atq; vniuersam propè Italiam, sed alias item plures Europæ nobilissimas Regiones, & magnitudine, & admiratione nouitatis impleuerint. Nos igitur, qui, quemadmodum scimus B. V. iussisse cuncta diligenter inquiri, accuratè expendi, & suis quæque ponderibus examinari, ita illud non ignoramus, Principes, maximosq; Reges fuisse, qui ab ea per litteras, & per suos Oratores petierint, vt quem mortales consentienti totius ferè Christiani Orbis iudicio pro sancto habent, hunc ipsa talem solemni ritu decernat, & statuat; his omnibus causis adducti, nostro etiā præcipuo quodam erga memoriam vigilantissimi Pastoris studio incitati, per Reuerendissimos Episcopos Nouarien. & Casalen. quos concordes ad V. B. huius rei gratia destinauimus, quāta maxima possumus animi demissione eandem rogamus, & obsecramus, vt quòd tantoperè communibus piorum votis expetitur, de eo tandem ita deliberet, vt desiderij nostri compotes per ipsius benignitatem fuisse factos demū lætemur, agamusq; Deo gratias, quòd nos ad ea tē-

 pora

pore reseruauerit, quibus relatum in cœlestium numerum Episcopum videre licuerit, quem & Eiscopalis disciplina suum quasi restitutorem agnoscat, & augustum, sacrumq; Collegium velut ornamentum quoddam, & decus suum semper suspexit. Sed desideria, & studia nostra ijdem Episcopi Nouarien. & Casalen. oratione sua planiùs coram exponent, quibus in omnibus, quæ nostro nomine apud V.B. commemorabunt, vt fidem habeat, nobisq; suppliciter ad ipsius sanctissimos pedes abiectis Paternam suam benedictionē impertiat, etiā atque etiam petimus.

Litteræ decretales Canonizationes S. Caroli Tit. S. Praxedis Presbyteri Cardinalis Archiepiscopi Mediolanen.

1 PAVLVS EPISCOPVS
Seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNigenitus æterni Patris, Filius, Christus Dominus, & Redemptor noster qui se quotidie vna cum Patre operari professus est, cum Pater meus, inquit, vsq; modo operatur, & ego operor, nunquam destitit mirabiliter illuminare terram suam à montibus æternis; sed varijs locis, varijsq; temporibus suscitando æternæ gloriæ candidatos, sanctos suos, Ecclesiam Sanctam illustrare mirabilem in modum cōsueuit, non solum, vt addat in dies magis domui suæ gloriam, & decorem, sed etiam vt irradiando humanæ vitæ tenebras splendoribus Sanctorum, tarditatē nostram vrgeat, fratrum nostrorum exemplo, quasi

pla-

præſenti teſtimonio oculorum. Hic idem Dominus, qui facit mirabilia magna ſolus, magnificauit nouiſſimè facere nobiſcum, ac miro diſpenſationis ſuæ opere ſtatuit ſuper Apoſtolicæ petræ arcem grande luminare; eligens ſibi e gremio Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Carolum, Sacerdotem fidelem, ſeruum bonum, formam gregis, formam Paſtorum. Qui videlicet multiplici fulgore Sanctorum operũ vniuerſam decorando Eccleſiam, Sacerdotibus, & Populo præluceret quaſi Abel in innocentia, quaſi Enoch in mun ditia, quaſi Iacob in laborũ tolerantia, quaſi Moiſes in manſuetudine, quaſi Elias in ardenti zelo, quiq; imitandam exhiberet interaffluentes delicias; Hieronymi corporis caſtigationem, Martini in ſublimioribus gradibus humilitatem? Gregorij paſtoralem ſollicitudinem; libertatem Ambroſij; Paulini charitatem; ac demum videndum, ac perſpiciendum oſtenderet oculis noſtris, manibus noſtris contrectandum, honorem, mundo maxime blandiente, crucifixum mundo, viuentem ſpiritu, terrena calcantem, cœleſtia iugiter negociantem, &, ſicut officio in Angelum ſubſtitutum, ita etiam mente, & opere vitam Angelorum in terris æmulantem. Quamobrem merito repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, in inſigni die ſolennitatis noſtræ; quando, nullis meritis noſtris, ſed inſcrutabili ſapientiæ ſuæ arcano, hanc diem mundo dilucere his temporibus ante ſæcula præordinauit Altiſſimus, in qua per miniſterium humilitatis noſtræ Carolo S. R. E. cui auctore Domino, præſidemus, Presbytero Cardinali, ſacris decernendis honoribus, vnicæ ſponſæ ſuæ noua imponeretur corona, ornata omni lapide prætioſo. Ex hoc enim confundentur omnes, qui adorant ſculptilia impiarum adinuentionum ſuarum,

& gloriantur in simulacris errorum; confitebuntur autem populi sancti Domino, & exaltabitur nomen eius solius. Et quoniam solennis declaratio Sanctitatis Christi famuli, ex inueterato Ecclesiæ Romanæ ritu, & ex præscripto sacrorum canonum celebrata, perpetuis futuris temporibus, nostris Apostolicis litteris est de more consignanda, hæc duximus ex eius vita, & miraculis, totiusq; causæ actis summatim referenda.

Nascitur dilectus Dei Carolus in primaria Mediolanensi familia Borromæa, ex parentibus Giberto Comite, & Margarita Medicea, anno salutis 1538. cuius futuræ eximiæ sanctitatis splendorem præmonstrauit Dominus magno, & insolito lumine, qua nocte puer nascebatur, super maternum cubiculum compluribus viso. Nec puerilis ætas eiusdem sanctitatis iudicijs caruit; tempus enim quo vacare licebat, extruendis, & exornandis altariolis magna cum voluptate dabat. Crescente ætate, quòd bonam eius mentem excellentioribus donis Spiritus Sanctus in dies magis præpararet, christianis moribus, & litteris nō difficile à pijs parentibus imbuitur. Eminebant verò in adolescente præludia benedictionum, quibus dignatus est eum Altissimus, munditia cordis, pax interna, innocentia, & modestia: nec rebus solum, sed etiam omnibus verbis turpibus, omnibusq; mendacijs abstinebat. In vtroq; iure in Papiensi vniuersitate, vbi his studijs operam dederat, ad doctoratus gradum promotus, à fe.rec. Pio Papa Quarto, Prædecessore nostro, eius auunculo, paulò ante, disponente Domino, ad Apostolatus apicem euecto, Romam euocatur, & in Sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium adscribitur, deinde Mediolanensi Ecclesiæ præficitur, grauissimaq; vniuersalis Ecclesiæ negocia,

gocia, & sedis Apostolicæ munera illi creduntur. Hic verò cepit Dominus ostendere in Carolo mirabilia sua; cum enim nondum vigesimum tertium expleuisset annum, administrabat omnia diligenter, in sapientia, & iustitia, summo cum zelo honoris Dei, & studio Catholicæ Ecclesiæ vtilitatis. Quæ omnia in negocijs fidei Catholicæ, & vniuersæ Ecclesię, quæ in Concilio Tridentino tunc agitabantur, maxime enituerunt. Non vigilijs, non incommodis, aut laboribus vllis pepercit, vt nequid re tardaret Sanctæ Synodi absolutionem, quam ipse sollicitè, & cum spiritus ardore, promouit semper, donec à Domino impetraret. In tam sublimi dignitatis gradu constitutus, diuitiarum, potentiæ, ætatis, alijsq; non paucis, nec leuibus delinimentis circundatus, tantum abest, vt post carnalia desideria abierit, vt superno assistente præsidio, tunc cœperit Chisto magis adhærerere, & spiritualia ardentius æmulari. Itaq; vrbano splendore, & amplitudine relictis, bonus operarius in messem, quam susceperat, Mediolanum discedit; vbi partes suas in dies magis implendo, agrũ illum, malitia temporum vepribus turpiter desormem, ac siluescentem, in eum restituit nitorem, vt Ecclesiam Mediolanẽsem præclarum exemplar redderet Ecclesiasticæ disciplinæ. Hoc autem cum à se præsente præstandum cerneret, numquam à residentia discessit nisi coactus, aut concedente Sede Apostolica, vel seniore Episcopo suæ prouinciæ approbante. Principio Concilij Tridentini decreta executioni mandari sollicite curauit, & vt Ecclesiasticam disciplinam moresq; deprauatos recte, & ordine emendaret, Domini via incedendum intelligens, diuino auxilio facere incœpit, & docerè. Nam à se, suaq; familia reformationem aggressus, omnia ad Sacrorũ

Canonum, & Sanctorum Patrum exempla compo-
suit; laicis familiaribus grata missione dimissis, cle-
ricorum censuit vtendum ministerio, quibus cum as-
siduæ illi erant ad Deum preces, aliæq; complures spi
rituales occupationes; omni vestium pompa detra-
cta, omniq; alia re, minus honesta, & religioso in-
decora sublata. Quantum in Ecclesiæ suæ recta ad-
ministratione præstiterit, satis declarant Synodi mul-
tæ Prouinciales, ac diœcesanæ, eiusdemq; Ecclesiæ
actorum edita volumina, quæ Sacerdotum manibus
teruntur; & regendi Ecclesias doctrinam abundè
suppeditant. Ciuitatis, ac diœcesis suæ Ecclesias,
aut ipse solus suis sumptibus, aut grandi eleemosyna
præeundo, vna cum alijs instaurauit; alias à funda-
mentis ædificauit, alias ornauit, prætiosa etiam non-
nullas suppellectili ære suo instruxit. Pueris, & ado-
lescentibus Ciuitatis, & diœcesis, tum Clericis, tum
Laicis, necnon Heluetijs, & Rhetis moribus, & lit-
teris informandis, Presbyteris secularibus in regimi-
ne animarum erudiendis, Seminaria, & Collegia in-
stituit; prætefea regularibus clericis, Sacris Virgini-
bus Regulares, Secularibus verò tam mulieribus,
quàm virginibus seculares domos, Mendicantibus
Hospitale, Canonicis Ecclesiæ Mediolanensis Ordi-
narijs commune domicilium Archiepiscopis eorūq;
hospitibus opportunas ædes, alijs pijs operibus com
plures alias pias domos magnis sumptibus, partim
proprjs, partim beneficiorum Ecclesiasticorum vnio
ne, & attributione extruxit, auxit, & necessarijs re-
ditibus stabiliuit. In prædicatione verbi Dei tam
frequens erat beatus Pontifex, vt planè in omni pa-
tientia, & doctrina impleret ministerium suum, vigi-
lando, laborando, labore penè incredibili; ita vt
quadraginta horarum solemnibus precibus continuo

persi-

persistens in ieiunio, & vigilia, singulis horis ad populum admirabili patientia sermonem haberet. A frequenti visitatione ecclesiarum, & populorum suæ diœcesis, ac prouinciæ, vel aliarum etiam diœcesum, cum ab Apostolica Sede demandabatur, nullis incõmodis, aut periculis deterreri, vel retardari potuit; non æstu, non algore, aut nocturnis tenebris, non præruptis, & asperis Rhetorũ, & Heluericorum mõtium, niue, & glacie rigentium, neq; alijs deniq; multis & grauibus difficultatibus. Sed vir Dei charitate, quæ foras pellit timorem, & omnia, sustinet omnibus superatis, etiam cum suæ vitæ discrimine, increpando, obsecrando, prædicando & exemplo, atq; auctoritate personæ, hæreses, multaq; alia grauissima vitia, & abusus, præsertim à clero, per Christi gratiam sustulit. In administrando patrimonio Ecclesiæ tantũ industriæ & diligentiæ adhibuit seruus fidelis, vt eius reditus multo maiores relinqueret, quàm acceperat; nec minus tamen in illis dispensandis fidelis apparuit coram Domino. Hospitalitatem quippe exhibuit vsq; adeò, vt ostium eius omnibus pateret semper; diœcesanis, alienigenis, notis, ignotis, præsertim verò Ecclesiasticis, quos in secularibus diuersorijs manere indecorum dicere solebat, suamq; domum publicum hospitium vocabat. In eleemosynis dandis ita se gessit, vt in hoc opus præcipuè abundasse merito dici possit, ac dispersisse, & dedisse pauperibus. Quantũ enim necessarijs sumptibus ex mensæ Ecclesiæ Mediolanensis, & ex alijs proprijs reditibus supererat, totum in pauperes abibat; & ne quemquam aperte rogandi, aut accipiendi pudor expertem faceret misericordiæ suæ, secretis eleemosynis fidelem præposuerat ministrum, qui eorum occultis necessitatibus subueniret. Eoq; processit pauperibus subueniendi

studium,

ſtudium, vt Vritanum Principatum, reliquum patrimonij ſui, nec tenuis reditus, diſtraheret, & quadraginta millium ſcutorum pretio, quamuis vili, inde percepto, diuerſis pijs locis Mediolani tantum pecuniæ pauciſſimis horis attribueret. Cum verò peſtilentiam in ciuitatem, & diœceſim Dominus immiſiſſet, & gregem ſibi commiſſum, bonus paſtor miſerabiliter affligi cerneret, vt egenorũ calamitati temporalibus etiam auxilijs proſpiceret, vel argentea vaſa, ſtragulam, aliamq; veſtem, oſtiorum vela, proprijq; demum lectuli ſolatium dedit. Neq; hic conſtitit feruens Chriſti ſerui erga proximum dilectio, ſed æmulando chariſmata meliora, ad eam charitatem peruenit, qua maiorem neminem habere Dominus ipſe pronunciauit. Quaſi enim parum iudicaret publicis ſupplicationibus nudipedalibus, verbo, & opere inducere clerum, & populum ad diuinam deprecandã vindictam, & ad Pœnitentiam prouocare, aliaq; multa in commune conſulendo ſollicitè ordinare, pro munere paſtorali, cernens id etiam animarum ſaluti, & egregis neceſſitatibus in Domino expedire, diſpoſitis rebus ſuis, & ſelectis nonnullis adiutoribus, infirmos tam ciuitatis quàm diœceſis cuiuſcunq; ordinis, die nocteq; viſitando, ſpiritualia, & temporalia miniſtrabat defunctos ſepeliri, infantes orphanos nutriri, ac ſua quemquam onera publicè demandata, diligenter, ac fideliter adminiſtrare curabat, non pauperum valetudinaria, non humiles caſas, inuiſas dimiſit, non ad mortuorum cadauera accedere veritus eſt, vt viuetem miſerabiliter inter mortuos infantem ab vberibus defunctæ matris eriperet, & ſic agendo boni paſtoris expleret officium, qui animam ſuam ponit pro ouibus ſuis. Id quod facere etiam ſe paratum pro tuendis Eccleſiæ iuribus, & Eccleſiaſtica reſtituenda,

&

& conseruanda auctoritate non semel ostendit; quippe qui in promptu habberet vlcisci omnem in obedientiam; mitissimus alioquin vir, & clementissimus; ita vt calumnias, contumelias, grauesq; persecutiones patientissime ferret. Qua propter oblata aliquando indicia proditionis vitæ suæ neglexit, & litteras, nec resignatas, flammis tradidit. Ferè nullus, quamquam delicti reus, eius misericordiam pœnitens implorauit, qui non fuerit consecutus. Seuerus tamen arbiter erat in expendendis meritis personarum, cum de ecclesiasticis beneficijs, & officijs conferendis ageretur: beneficia enim nisi magis idoneis non dabat, neq; in illis dispensandis vllatenus à sacrorum canonum voluntate recedebat. Et vt sanctè, & iustè corã Deo, & hominibus omnia tractaret, à muneribus, etiam vilissimis, abstinuit. Tribunalia sua, vt non solum quauis labe iniquitatis, sed etiam suspicione vacarent, omni studio, præsertim sæpe illa visitando, præstitit. Nullum tempus animi relaxationi dabat, sed opus Dei, & proximi continuè agenti negotium negotio succedebat, curam cura excipiebat. Non quietis tempus vacabat ab opere, non refectionis: bonam enim noctis partem lectione, tum scriptione, tum oratione absumebat; interdum in oratione pernoctabat, neq; idcirco remissior mane in agẽdo erat; ita vt in actis inter cetera consignatum sit, quòd cum aliquando Romæ in Catacumbis noctem, quam ieiunium præcesserat, orando insomnem egisset, mane nõ solum de corporis refectione, aut quiete non cogitauit, sed valde longa peregrinatione suscepta, ad beatæ Virginis Agnetis Ecclesiam, pedibus processit, vbi Missam agendo, & orando, tantum temporis posuit, vt ante vigesimam secundam horam cibum non caperet; reipsa plane ostenderis, quàm omnia posset in

eo,

eo,qui illum confortabat. Has omnes, & sequentes virtutes exornauit mirum in modum castitate,& pudicitia, quam in florenti etiam ætate, quamquam non leuiter tentatus, illæsam fortiter defendit, ac diligentissime semper custodiuit. Itaq; fœminas sine arbitris non alloquebatur, omnemq; occasionem vitæ labefaciendi candorem accurate præcauebat. Firmabat vero eius virtutes omnes solidum fundamentum, præcellens viuæ fidei donum, quod & dilectionis egregia opera, & doctrinæ veritas, ac puritas, quã eius ex ore Ecclesia Mediolanensis, alijq; non pauci Christi fideles tot annis hauserunt, comprobant satis. Pietas præterea insignis, ac deuotio, cuius feruore incensus Christi famulus, sacra Italiæ loca orationis causa aliquando obibat, longa, & difficillima itinera, alienissimo anni tempore, pedibus agendo. Qua in re, vt nullo loco à sanctis operibus cessaret, tempus rerum diuinarum contemplatione, aut Psalmorum, & Sanctarum precum recitatione, aut sermones spirituales cum comitibus conferendo, transigebat. Quotidie sacrificium Deo offerebat, genibus flexis horas canonicas recitabat, & sacras scrutabatur scripturas:idq; interdũ dũ secretò refectionẽ sumeret corporalẽ. Quamobrẽ meruit homo Dei in huiusmodi operibus occupatus, non mediocriter à Domino clarificari. Cum enim ex more aliquãdo in priuato oratorio vespere cum familia oraret, & filius perditionis, apostata quidam ex ordine Humiliatorum, quem alij nonnulli eiusdem ordinis similes ministri Sathanæ pecunia in necem Caroli subornauerant, quod eorum Ordinis reformationem auctoritate Apostolica vrgeret, in eius tergum plumbeis globulis instructum sclopum, ab Oratorij porta explosisset, diuina protegente dextera, sagittæ paruulorum factæ sunt

plagæ

plagæ eorum, & globulorum pars sancti Pontificis orantis vestes nō penetrauit, licet alij, violentia ictus, vtrinque fuerint in proximo defixi: omnibusq; perculsis, ac de eius salute trepidantibus, ipse solus mente immotus, illos in oratione progredi mandauit, & tunc ipsum Domini monitum illud, Non turbetur cor vestrum neq; formidet, cantari, non sine diuina voluntate, contigerat. Qui igitur sui corporis saluti opus Dei tantum anteponeret, haud mirum si rerum etiam, & honorum contemptu inter Christi seruos enituerit Carolus, & illuxerit omnibus, qui in domo sunt. Postquam enim ad Ecclesiam regendam Mediolanensem, & ad Christianam perfectionem animum appulit, vt expeditior agere posset, quod agendum susceperat, maioris Pœnitentiarij officium, Archipresbyteratum Basilicæ Sanctæ Mariæ Maioris Vrbis, ordinum Regularium compluriū, Regnorum, & Nationum honorificentissimas clientelas, seu, protectiones, opulenta munera, grandesq; Ecclesiasticos, & patrimoniales reditus sponte sua reliquit. Neq; his tantum vinculis sese exoluendū censuit, vt Christum sequi liberius posset, sed, quod longe difficilius est, quo corpus suum redigeret in seruitutem, seuerissime castigauit: quotidiano enim non contentus ieiunio, carnium, ouorum, ac piscium esu sibi interdixit, deinde ter qualibet hebdomada, post hæc tota Quadragesima pane tantum, & aqua ieiunauit. Ac demū, vt in corde ipsius disposuerat Dominus ascensiones, Quadragesimale ieiunium magna ex parte solis ficis passis, aut solis dactilis, Sanctorum veterum Eremitarum more peregit: deniq; postremo vitæ tēpore hebdomada maiore, solis Lupinis aqua mellitis, languentem animam sustentauit. Vestis illi interior cilicium, & crassa, asperaq; tunica: exterior, priuata,

lanea,

lanea, ac vilis, & attrita, publicæ dignitatis propria. super paleas, aut super asses, paleis pleno, puluino capiti supposito, cubabat: interdum super ipsam humum, sagulo tantum substrato: postquam enim lectum suum pauperibus, pestilentia laborantibus, largitus fuit, nunquam super lectum, culcita stratum, dormiuit. Accedebant frequentes corporis flagellationes, aliæq; id genus complures mortificationes. Quibus tandem gradibus, cum ad illam seruorum Christi perfectionem peruenisset, vt per gratiam Spiritus Sancti audire a Domino posset, Serue bone, & fidelis, à paucis, & humanis rebus, in quibus fuerat fidelis, super multa, & æterna bona constitui meruit, & intrare in gaudium Domini sui: anno siquidem ineunte ætatis suæ XLVII. cum prius, quasi discessui sese comparans, Varalli montis Nouariensis, diœcesis religiosas passionis Christi memorias adijsset, ibiq; vniuersos annos suos recogitando, generali cōfessione culpas diluisset, & cum amaritudine animæ suæ quindecim dies in oratione, ieiunijs, vigilijs alijsq; corporis afflictionibus egisset, eger Mediolanū delatus, consumato cursu, obdormiuit in Domino. Eius obitum vniuersi populi Mediolanensis luctus, consequutus est; alijs Sanctum, alijs communem Patrem amissum quærentibus. Excellentem verò famuli sui sanctitatem comprobare etiam voluit Altissimus testimonio miraculorum; quorum complura, & si ab eo viuente facta in actis recensentur, insigniora tamen post eius beatam dormitionem edita probantur. Nam quidam infans, Philippi Nauæ, & Lucinæ Mediolanensis filius, quem sine oculis in lucem editum fuisse medici re mature perpensa, affirmauerant, piæ matris, ad Caroli auxilium conuersæ, precibus mirabiliter illos à Domino accepit; quippe so-

rore

rore quinque annorum Carolum infanti benedictionem dedisse, & illum oculos aperuisse clamante, mater, clamore aduocata puellæ, oculos infantem habere deprehendit. Et Sanctimonialis Monasterij maioris Mediolanensis nomine Paula Iustina Casata, cui dexteræ partis corporis omnem sensum ac motum, paralysis ademerat, cum ad sancti Sacerdotis imaginem, voto prius suscepto, & eleemosyna erogata, sacra communione refecta, magno spiritus ardor, & fiducia oraret, statim sensum, & motum cum valetudine, recuperauit, ita vt ad Oratorium se conferre, & gratias Deo agere libere potuerit. Altera vero Monialis ex Capuccinis, nuncupatis, eiusdem ciuitatis, cui nomen Candida de Agudis, triennio hectica febre, tam acriter laborauerat, vt desperatæ salutis, ac morti proxima existimaretur; hæc voto similiter emisso, & sancti Põtificis auxilio deuotè implorato, ad Caroli vestis superimpositæ cõtactum statim conualuit. Votum similiter cum vouisset Angela Antonia quædam Senensis annorum ferè lxx. quo se Dominus per intercessionem beati Caroli, à membrorũ infirmitate sanaret, cum absq; alterius auxilio incedere non valeret, antequam votum soluere finiuit, valetudinem consequi meruit. Ad imaginem rursus serui Christi magna cum deuotione, dum meritis eius confidens Deum orat, Candida Francisca de Fortis, Monialis Monasterij S. Agnetis Mediolanensis, vt à graui morbo liberetur, quo tertio iam mense affligebatur, quem spasmũ ex catarrho Medici censebant, indeq; crus illi dexterum contractum erat, nullisq; remedijs depelli valuerat, suaui quadam, quasi aura neruos, & crus dexterum perfundi, & refocillari sentit, ac finita oratione pedibus consistit, & sanatur. Angela quoque Buticella Papiensi grauissimo articu-

lorum

lorum morbo affecta, ex quo omnium membrorum motu, præter quam linguæ, destituta, languebat, ad eius imaginem pro sanitate orante, meritis, & precibus Caroli, vna cum deuotæ fœminæ oratione morbus mirabiliter finiuit. Et Anna, mulier nobilis Polona, ex Marchionibus de Mirouu, cũ annos circiter nouem manuum acerbissimis doloribus, cum tumore, & digitorum contractione laborasset, omni medicinæ auxilio frustra tentato, ad imaginem itidem B. Caroli conuersa, eius opem, magno cum spiritus ardore, implorans, statim sanitatem recuperauit. Sepulchrũ quoque serui sui placuit Domino multis signis mirificare, fidelium preces in diuersis eorum necessitatibus exaudiendis. Ex quibus illud est eximium, ꝙ, cũ vir quidã nobilis Mediolanensis nomine Io. Iacobus Lomacius, crurum quinquenij vlceribus affligeretur, ne que à medicina valetudinem consequendi spes relicta esset, acrioribus, quàm soleret, doloribus aliquando correptus, ad viri sancti sepulchrum, bacillo innixus, proficiscitur, ibiq; pro recuperanda valetudinẽ feruenti spiritu orat, oratione finita, sine dolore Missam audit, deinde incolumis cõsurgit, ac domum reuersus, admirabili Dei beneficio crurum vlcera consolidata, sibiq; sanitatem redditam deprehendit. Præterea Margarita Monta, Mediolanensis puella, annorum sex, adeò distortis, ac peruersis pedibus nata erat, vt plantæ interius conuersæ, se inuicem adspicerent, ac pedis pars exterior plãtæ officio fungeretur; tamen à corporis vitio huiusmodi, quod nec industria obstetricis, neque sexennio quæsitum humanum remedium corrigere valuerant, per beati Confessoris intercessionem liberata est. à matre enim ad sepulcrum eius ducta, ab alterius primum, deinde reducta, ac voto etiam edito ab alterius

etiam pedis huiusmodi inuersione sanata est. Non minoris momenti est, quod operatus est Dominus sancti Pontificis meritis, in altera infante, nomine Ioanna de Maronis, eiusdem ciuitatis, matre ad sepulchrum eius similiter orante: cum enim infans neruis; quibus tibijs alligantur pedes, genibusq; resolutis, nata esset, ita vt incedere minime posset, ac pedes in humeros, cum vellet libere attolleret, & quartum iam ætatis annum egressa esset, fama miraculorum Beati Caroli excitati parentes, ad eius sepulchrum illam, cum oblationibus, deferri curant, indeq; vitio sublato, sana domum refertur. Aurelia de Angelis cancri morbo grauissimo, multum inueterato, cum febre, & acri dolore in sinistro crure affecta, quem, Medici insanabilem humana arte iudicauerant, ad serui Dei auxilium conuersa, ac voto suscepto, eiusq; sepulchrum venerationis causa, cum se adituram vespere proposuisset, mane è febre libera, sanescere mirum in modum crus cœpisse cernit, ac triduò penitus conualuit. Puer verò quinque annorum Hieronymi Beriolæ, & Agnetis ab Ecclesia filius, Melchior nomine, hernia admodum graui, & periculosa laborabat, magno cum dolore, & vniuersi corporis quasi ex aqua inter cutē tumore; quāobrem medicorum irritos conatus diu mater experta, beatum Carolum supplex orat, vt ex ijs necessitatibus filium, seq; eriperet, vel impetrando infanti à Domino sanitatem, vel vitæ miserandæ finem: Has preces somnus cōsequitur infantis, qui post paucas horas expergefactus, matrem vocat, eiq; refert Cardinalem suum morbi locum manu, in qua lucidū gereret annulum, tetigisse, ac sanasse, quo audito (mirabilis Deus) mater filiolum adspicit, ac vere conualuisse comperit. Non longè dissimili ratione al-

terum puerum Papiensem Bernardini Tironi filium, suprascripto æqualem, à mortis faucibus eripuit Dominus per merita famuli sui, retribuens pietati parẽtum, qui ad Sancti Dei imaginem filiolam vespere quotidie orare, & illum inuocare docuerant; cum enim in Ticinum, aquis tumidum, delapsus fuisset infans, & antequam quisquam illi opem ferre posset quasi quarta horæ pars elapsa fuisset, nunquam tamen est demersus, sed tamquam leue corpus supernatans, eò vsque delatus est, donec educeretur; eductus, planè incolumis, sese beato Carolo, rubris induto vestibus, substentatum ne mergeretur, narrauit; beati Caroli autem auxilium, more à parentibus accepta, inuocans, dum decideret, à pluribus auditus fuerat. Hæc itaque & alia quamplura signa, & prodigia, quibus serui sui præclara merita contestatus est Dominus, cum illam in Populis sanctitatis famam, & erga beatum Pontificem deuotionem, quam vita excitauerat, auxissent, & in dies magis augerent, dederunt exordia clarificationis à Patre luminum Carolo præstitutæ. Itaque anno M D C I. precibus congregationis Oblatorum Sãcti Ambrosij Mediolanensis à Carolo institutæ, primum à Vicario venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Mediolanen. duo processus, de vita alter, alter de miraculis sancti Confessoris formati sunt; inde, Clerus, & Consilium generale eiusdem Ciuitatis Mediolanensis, ad fel. record. Clementem Papam Octauum, Prædecessorem nostrum, oratores de Beati Caroli canonizationem miserunt; quibus auditis idem Clemens, causam Venerabilibus Fratribus nostris tunc suis, S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præfectis demandauit; de quorum consilio causa delegata tribus sacri Palatij nostri causarum Auditoribus, dilecto videlicet filio
Fran-

Francisco Peniæ Decano, ac dilecto etiam filio nostro Ioanni Garziæ tit. Sanct. Quatuor Coronatorum, Presbytero Cardinali Millino, nuncupato, tunc earundem causarum Auditori, ac bonæ memoriæ Alexandro Littæ; quibus deinde bon. etiam mem. Alexander Iustus, & Bernardinus Scottus, & huic demum dilectus filius Horatius Lācellottus earundem causarum similiter Auditores, subrogati fuerunt, cum facultate nouos processus, si eis videretur, conficiendi. Ipsi re mature examinata, nouos processus auctoritate Apostolica faciendos censuerunt. Deinde eodem Clemente Prædecessore viam vniuersæ carnis ingresso, ac fel. recordat. Leone Papa XI. similiter Prædecessore nostro, ad Apostolatum assumpto, eadem causa prædictis Auditoribus commissa, & vt ad vlteriora procederent mandatū fuit. Eodemq; Leone, sicut Altissimo placuit, ab humanis exempto, nostraq; humilitate, inscrutabili Dei iudicio, nullis suffragantibus meritis, ad Catholicæ Ecclesiæ regimen vocata, officij nostri debitum exigere censuimus, vt sancti Cardinalis canonizationis negotium promoueretur; quando, si Deo adspirante, vt sperabatur, successisset, magna cum Ecclesiæ suæ augmento decoris, & credentium, præsertim Sacerdotalis ordinis, fructu, gestum iri constabat. Accedebant etiam Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi III. Hispaniarum Regis Catholici; Sigismundi etiā III. Poloniæ Regis, & Constantiæ Reginæ Illustriū, Principum, & aliorum multorum preces, quibus à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris prædictis, & à nobis id sæpius postulauerant, & postulabant. Quamobrem, cum in eadem causa, absq; mora progredi Auditores mandauissemus, ipsi ex nouo processu, auctoritate Apostolica per Venerabiles Fra

tres nostros Philippum Comensem, & Claudium Placentinũ Episcopos confecto, & ad se misso mandatu nostro, diu multumq; negocio discusso, & accuratè examinato, nobis primum, deinde Cardinalibus prædictis tandem retulerunt constare de beati Caroli sanctitate vitæ, excellentia fidei, & miraculis; & omnia ad Canonizationem, à Sacris Canonibus requisita, legitimè fuisse probata: ita vt, si nobis videretur, ad serui Dei Canonizationis solennem actũ procedere possemus. Restabat vt relationem Auditorum, & vniuersam causam de more ijdem Cardinales accuratissimè recenserent, & pro rei grauitate recognoscerent id quod, cum rectè, fideliterq; præstitissent, idemq; omnes censuissent, ac deinde Venerabilis Frater noster, Dominicus Episcopus Ostiensis, & Veliternus S. R. E. Cardinalis Pinellus nuncupatus, eorum antiquior, suam, Collegarumq; sententiam, cum totius summa processus retulisset in Consistorio nostro secreto, reliqui Cardinales, qui aderant, in eandem sententiam concesserunt. Quapropter sequenti publico Cõsistorio, in quo pro Canonizatione disertè dixit, dilectus Filius Iulius Roma, Aulæ nostræ Consistorialis Aduocatus, ac nomine prædicti Philippi Regis, nobis humiliter supplicauit, Nos de tanti momenti negocio, vt par erat, deliberaturos, cũ ijsdem Cardinalibus, & Episcopis, in Curia præsentibus respondimus, & Cardinales, & Episcopos, qui tunc aderant, hortati sumus, vt eleemosynis, ieiunijs, & orationibus Spiritus Sancti auxilium deuotè implorarent, Cum verò in semipublico Consistorio quod ex more deinde habuimus, vocatis non solum Cardinalibus, sed etiam Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis prædictis, ac præsentibus, nostris, ac Sedis Apostolicæ Notarijs, ac Sa-

cri

cri Palatij nostri Apostolici causarum Auditoribus, nos de vita, & miraculis Beati Caroli quæ oportebat, proposuissemus, omnes Beatum Carolum Canonizandum esse apertis suffragijs censuerunt. Quorum vnanimi consensu audito, aperuimus os nostrū in benedictionibus, & gratias egimus diuinæ clemētiæ, quòd tantam gratiam tribuisset puero suo, ac per eum honorificare vellet ministerium nostrum, & Canonizationis declarauimus diem, adhortantes, omnes, vt iunctis nobiscum precibus, eleemosynis, ieiunijs, & sacrificijs Spiritus Sancti gratiam, infirmitati nostræ in eam rem procurarent. Denique cum nihil restaret eorum quæ ex sanctorum Patrum auctoritate, sacrorum Canonum Decretis, ac S. R. Eccl. antiqua consuetudine agenda, & obseruanda sunt, hodie in Sacrosancta Beati Petri, Principis Apostolorum, Basilica, in qua solemni ritu, cum ijsdem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis prædictis, Rom. Curiæ Prælatis, Officialibus, ac Familiaribus nostris, clero seculari, & regulari, ac maxima populi frequentia, mane conuenimus, post repetitas pro canonizationis decreto petitiones nomine eiusdē Philippi Regis à dilecto Filio nostro Ferdinando sancti Eusebij Presbytero Cardinale, per Iulium Aduocatū prædictum, post Sacros Hymnos, Litanias, aliasque preces; post Spiritus Sancti gratiā ritè imploratam; Ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ac fidei Catholicæ exaltationem, & Religionis Christianæ augmentum, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, beatorum Apostolorū Petri, & Pauli, ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in Vrbe presen-

tium,consilio, & vnanimi consensu, bonæ memoriæ Carolum Borromæum, dum vixit tituli S. Praxedis Presbyterum Cardinalem, & Archiepiscopum Mediolanensem, de cuius Sanctitate vitæ, fidei sinceritate, & miraculis planè constabat,& constat, Sanctũ esse definiuimus, ac Sanctorum Confessorum Pontificum catalogo adscribendum decreuimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, illumq; omnes fideles venerari mandauimus, & mandamus. Statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia in eius honorem Ecclesiæ, & Altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, ædificari, & consecrari possint, & singulis annis die quarto Nouembris Festum ipsius, & officium Sancti Confessoris Pontificis ad Breuiarij Romani præscriptum, deuote celebretur, eademque auctoritatè omnibus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singulis eodem die Festo, ad sepulchrum, in quo Corpus eius requiescit, deuotè accesserint visitandum, vnum annum, & vnam quadragenam, ijs verò qui in eiusdem Festi octaua, quadraginta dies de iniunctis, seu quomodolibet debitis pœnitentijs, misericorditer in Domino relaxauimus, ac relaxamus in forma Ecclesiæ consueta. Postremò Deum Patrem æternum, Regemq; gloriæ Christum, Patris sempiterni Filium, ac sanctum Paraclitum Spiritum, vnum Deum, vnum Dominum, laudibus, & confessionibus venerari, sacroque hymno decantato, solenni oratione Confessorum Pōtificum per beati Caroli merita ritè sumus præcati, atq; ad Altare sancti Petri Apostoli Missam egimus, cum eiusdem sancti Pontificis commemoratione, omnibusq; Christifidelibus, tunc præsentibus Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concessimus. Æquum est igitur

igitur dare nos gloriam, & honorem, & benedictionem viuenti in sæcula sæculorum, qui benedixit cōseruum nostrum in omni benedictione spirituali, vt esset sanctus, & immaculatus coram ipso; & cum illum dederit nobis Dominus tanquam fulgentē stellā in hac nocte peccatorum, tribulationum nostrarum, adeamus ad Diuinam clementiam, ore, & opere supplicantes, vt Carolus Ecclesiæ, quam vehementer dilexit, prosit etiam meritis & exemplo, adsit patrocinio, & in tempore iracundiæ fiat reconciliatio, per Christum Dominum nostrum. Ceterum, quia difficile foret præsentes nostras litteras ad singula loca, vbi opus esset, deferri, volumus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem vbiq; fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. M. DCX. Kalen. Nouembris Pont. Nostri Anno Sexto.

✠ Ego Paulus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

✠

✠

✠ Ego A. Maria Episcopus Prænestin. Cardinalis Gallus.

✠ Ego Antonius Episcopus Albanensis Cardinalis Saulius.

✠

✠ Ego Euangelista tit. S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis Cusentinus.

✠ Ego Fr. Gregorius tit. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis de Montelparo.

✠

✠

✠

✠ Ego Franciscus Maria tit. Sãctæ Mariæ in Araceli Presbyter Cardinalis à Monte.

✠

✠ Ego Flaminius tit. S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Platus.

✠ Ego Federicus tit. S. Mariæ Angelorum, Presbyter Cardinalis Borromeus.

✠ Ego Petrus tit. SS. Io. & Pauli Presbyter Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Octauius tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis Bandinus.

✠

✠ Ego L. tit. S. Laurentij in Pane, & Perna Presbyter Cardinalis Blanchettus.

✠ Ego Bartholomeus tit. S. Mariæ in Porticu Presbyter Cardinalis Cesius.

✠ Ego Franciscus tit. S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Mantica.

✠

✠ Ego B. tit. S. Priscæ Presb. Cardinalis Beuilaqua.

✠

✠

✠ Ego Dominicus tit. S.Petri in Monte Aureo Presbyter Cardinalis Tuscus.

✠

✠ Ego Robertus tit. S.Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Bellarminus.

✠

✠ Ego Dominicus SS.Apostolorũ Cardinalis Gymnasius.

✠

✠ Ego Antonius tit.S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Zapata.

✠ Ego Carolus tit.S.Clementis Presbyter Cardinalis de Comitibus.

✠

✠

✠

✠ Ego Iac. tit. S.Stephani in Monte Celio Cardinalis Sannesius.

✠ Ego Erminius tit.S.Mariæ Transpontinæ Presbyter Cardinalis de Valentibus.

✠ Ego Ferdinandus tit. S. Eusebij Presbyter Cardinalis.

✠ Ego Scipio tit.S.Chrysogoni Presb.Card.Burghesius, Maior Pœnitentiarius.

✠

✠

✠ Ego Io.Garsia tit. Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Milinus.

✠

✠ Ego M. Cardinalis Lantes tit. Sanctorum Quirici, & Iulitæ.

✠

✠ F.Cardinalis de la Roch Focault tit.S.Calixti.

✠ Ego

✠ Ego Michael Tontus Cardinalis Nazarenus tit. S. Bartholomei.

✠ Ego Fabriti⁹ Cardinalis Verallus tit. S. Augustini.

✠ Ego Io. Baptista tit. S. Sixti Cardinalis Lenius.

✠

✠

✠ Ego A. S. Laurentij in Damaso Diaconus Cardinalis Montaltus S. R. E. Vicecancellarius.

✠ Ego Odoardus S. Eustachij Diaconus Cardinalis Farnesius.

✠ Ego A. S. Angeli in foro Piscium Diaconus Cardinalis Perettus.

✠

✠ Ego Io. Baptista S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Detus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. S. Agathæ Diaconus Cardinalis Capponius.

✠

S. Cobellutius.

S. de Vrsinis.

Registrata apud Scipionem Secretarium.

Lit-

Litteræ Gregorij XIII. De Iudicibus, & Conseruatoribus etiam Regularium.

GRegorius Papa XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem prouidentiæ suæ partes impendere efficaces, vt illa, quæ pro bono publico, & plurimorum indemnitate prudenter facta, & circumspectè disposita esse noscuntur; perpetuò firma, & illibata subsistant, & ab omnibus quos concernunt, etiam inconcusse obseruentur. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Carolus tituli sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis, Borromæus nuncupatus, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Mediolanen. quasdam ordinationes, & taxas in tota Prouincia sua obseruandas per Iudices in Synodis diœcesanis deputatos pro causis commissarijs, nec non per conseruatores regularium exemptorumuè quorumcunque in causis, coram eis quouis modo pendentibus, ac eorundem Notarijs, non tamen vbi ex aliquo statuto, aut consuetudine laudabili, nihil vel minor taxa exigeretur, ediderit, statuens siquidem, & ordinans, quòd Iudices præfati non pronuncient, prout in cedula, neque habeant terminum pro seruato, sed sententias suas liberè proferant, & descripto in die termini, vt statim Publicet, easque recitent, vel recitari iubeant, propinas non accipiant, si salarium ordinarium aliquod habent, aliàs moderatas capiant, iuxta taxã inferius descriptam, & eo casu per manus Notarij causæ, sententia tamen prius nedum subscripta, sed etiam Notario consignata, & publicata; Quæ sportulæ apud Notarium causæ post subscriptionem, & Notario traditã sententiam, & non antea deponantur, Notariusque huius-

huiusmodi depositionem in actis notare, & specificare teneatur, Pro interlocutorijs, aut alijs decretis vim diffinitiuæ non habentibus ante diffinitiuam, & prouidendis scripturis, informationibus, aut processibus nihil prorsus accipiant, munera, vel xenia à litigantibus non accipiant, nec quidem esculenta, & poculenta, nisi quæ triduò consumi possint. Aduocatos, Procuratores, aut Sollicitatores, quorum opera ad patrocinandum coram ipsis cupiant quemquā vti, neque verbis nominent, neque vllo modo significent, Aduocantes, procurantes, aut sollicitantes in causis coram eis pendentibus domi non retineant, neque etiam Notarium causæ: Notarios assumant ab Ordinarijs locorum approbatos, qui non solum cauere debeant de scripturis fideliter custodiendis, sed etiam finitis causis de eisdem consignan. in Archiuijs Ordinariorum absque tamen præiudicio Notariorum eorundem habitis ab eorum Notarijs quietantijs ne morte cuiusquam deperdantur; Assessores arbitriue, qui in causa suspitionis Iudicibus Ordinarijs, vel alijs etiam delegatis adiunguntur, nihil, aut quid minimum pro videndis scripturis, & processibus, nec etiam pro voto decisiuo accipiant: cum in vna, & eadem causa contra diuersos vnica citatione agitur, plures non dentur expeditiones, nisi ipsimet petierint, sed vnica tantum, & pro ea merces vnica soluatur: quod si ex necessitate duplicata occurrant, Notario tantum pro labore scriptura soluatur, idemque seruetur in sententijs quibuscunque etiam absolutorijs si id commode præstari poterit, attenta qualitate, & diuersitate causarum, vt scilicet omnes reos in vna causa vnica comprehendat sententia, & pro vnica tantum soluatur; In causis criminalibus, in quibus de iure Fiscus citari debet, non procedatur,

nec

nec sententia feratur, nisi ipso legitimè citato: pro sigillo tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus ad summum capiant realem vnum, & in mandatis de excarcerando in capitalibus, & pro relaxatione testium nihil, & in expeditionibus etiã quæ fiunt in ciuitate cum clausula si quis, nihil; Pro viatico Iudicis in ciuitate nihil, si extra ciuitatem vltra miliare scuta duo pro prima die, & si vltra, scutum vnum auri pro qualibet die vltra expensas honestas cibarias, & quorum vecturam, Notariusq; capiat pro medietate: Notarij omnes prædictorum Iudicum obseruent taxas Notarijs fori cuiuslibet ordinarij præscriptas, ac secundum illas exigant; præterquàm in casibus in præsenti reformatione expressis, in quibus eis liceat capere, quod hic determinatum est, nisi ordinariorum taxæ minores, & moderatiores hic sint: Quo casu illas in totum, etiam quoad expressa in præsenti reformatione sequi debeant: Notarij nullum quantumuis leuem terminum per se ipsos etiam in forma, vt dicunt, sine Iudicis decreto seruent; vbicunque procuratorem aliquem ad lites constitutũ à principali suo lite pendente reuocare contingat, tunc Notarij nullo modo reuocationes hiusmodi recipere possint, aut de illis rogari, nisi simul alter procurator, qui munus illud procurationis suscipiat ab eodem legitimè constituatur, & de alterius constitutione eiusque susceptione apud acta doceatur, Notarius cum Iudici acta, seu alias scripturas detulerit, nihil omnino vltra duos solidos, etiam à sponte dantibus sub prætextu bibaliorum, seu regaliorum recipiat: Notarij, eorumque substituti; vel scribæ non possint esse procuratores in cura, seu tribunali, in quo Notarij sunt, & officium substituti exercent, vel scribunt: Iudices non sint participes aliquo modo emolumentorum, quæ Notarij

ex

ex suis laboribus in causis corã eis pendentibus percipiunt. Ac insuper propinas à præfatis Iudicibus obseruandas limitauerit in hunc modum videlicet, quòd in causis, vbi de summa vigintiquinque scutorum agitur supra decem reales nihil percipi debeat, A vigintiquinque autem scutis, vsque ad centum scuta tria scuta percipiantur, seu percipi possint, A centum vsque ad ducẽta scuta sex, A ducentis vsque ad quamcunque summam non vltra scuta decem, Pro sententia declaratoria ob non paritionem monitorij in contumaciam non vltra realia septem cum dimidio, pro declaratoria in vim litterarum, aut alias haben. vim diffinitiuæ si summa sit certa, accipiant, vt supra taxatum fuit, vbi autem non est certa sed agitur ad ipsarum litterarum executionem accipiant secundum causæ, & personæ qualitatem, dummodo non vltra quinque aureos. In beneficialibus verò si redditus annuus de quo agitur non excedat summam centum ducatorum capiant scuta sex, A centum vero, vsque ad mille scuta duodecim, abinde supra non vltra scuta viginti accipere valeant. Quod si causæ estimationem facilè non recipiant moderatæ sportulæ pro rerum, & personarum qualitate iuxta taxas prædictas recipi possint, In causis criminalibus, in quibus pœna à deportatione supra veniret imponenda non vltra decem aureos accipere possint, A deportatione autem infra non vltra quinque. In causis autem capitalibus, in quibus sit traditio curiæ seculari, vel alia pœna corporalis imponitur, etiam si in illa indemnitati partis consulitur, & in illius fauorem nisi fuerit diues, à qua vsque ad vigintiquinque aureos possit accipi, etiam pronuntietur, non vltra quinque scuta accipiant, caueant autem Iudices ne pro extorquendis sportulis aliquem nolentem quo-

uis

uis modo absolui ad petendam sententiam huiusmodi per causarum expeditionis dilationem, vel rei in carceribus detentionem, vel per cautionis de se repræsentando, vel non discedendo, vbi alias illis de iure locus, non sit præstandi cautionem, aut aliàs quoquomodo inducant. Quæ omnia decreta, seu taxæ Iudicibus synodalibus, & conseruatoribus sic præscriptas seruent etiam Iudices ordinarij in omnibus causis delegatis, nisi vbi de consuetudine, decretis vel constitutionibus Episcopalibus minor taxa ipsis seruanda proposita esset, quam seruare teneantur, possintque locorum Ordinarij dictæ Prouinciæ Mediolanen. tanquàm sedis Apostolicæ delegati prædictorum omnium contemptores, ac ipsis quoquo modo contrauenientes admonere, & si se emendare neglexerint informationem de excessibus huiusmodi sumant, ac ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, seu curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditorem transmittant, vt ea ad vnguem non obseruantes iuxta excessuum exigentiam corrigi, & puniri possint, nisi ipsi Iudices magis ab Ordinarijs iudicari consenserint, ac alias prout in instrumento, vel instrumentis publico, seu publicis, aut alio, vel alijs documento, seu documentis, aut scriptura, vel scripturis desuper confectis plenius dicitur cõtineri. Cumque sicut etiam accepimus idem Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus, seu Præsul ordinationes, & taxas prædictas per eum sic, vt præmittitur pro bono publico suæ Prouinciæ factas à nobis, & dicta sede Apostolica confirmari, & approbari desideret: Nos in præmissis opportunè etiam prouidere volentes, Motu proprio non ad ipsius Caroli Cardinalis, & Archiepiscopi, seu Pręsulis, vel alicuius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera volun-

voluntate, & deliberatione, ac ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas ordinationes, & taxas huiusmodi per ipsum Carolum Cardinalem, & Archiepiscopum, seu Præsulem sic vt præmittitur factas prædictas Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac etiam innouamus, & etiã de nouo perpetuo facimus, nec non illis plenariæ, inuiolabilis, & perpetuæ firmitatis Apostolicæ robur adijcimus, omnesque, & singulos tàm iuris, quàm facti defectus, si qui interuenerint in eisdem supplemus, illasq; validas, & efficaces perpetuò existere, & fore, ac suos plenarios effectus sortiri, & obtinere, necnon à Iudicibus synodalibus, & Conseruatoribus, ac etiam Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisq; supradictis, ac alijs omnibus, & singulis dictæ Prouinciæ ad quos spectat, & spectabit, quosque præmissa concernunt, & concernent pro tẽpore quomodolibet in futurum, inuiolabiliter perpetuò obseruari; sicque in præmissis ab omnibus censeri, ac ita, & non aliter per præfatos, & quoscunque Iudices, & Commissarios etiam quauis auctoritate fungentes, etiam nostri sacri Pallatij causarum Auditores, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiã legatos de latere, & sedis prædictæ Nuncios etiam cum facultate legati de latere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quauis causa, & instantia iudicari, sententiari, & diffiniri debere, nec non quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus; sicque etiam volumus, & perpetuò statuimus, mandamus, præcipimus, taxamus, & ordinamus, nec non etiam perpe-
tuum

tuum desuper silentium imponimus: Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Alexandrin. ac dilectis filijs causarum curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori,& Archipresbytero Ecclesiæ Mediolanen. per Apostolica scripta mãdamus,quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque vbi,& quando opus fuerit,ac quoties pro parte dicti Caroli Cardinalis Archiepiscopi, seu Præsulis,vel cuiuscunq; aut quorumcunq; aliorum, quorum interest, interierit, vel interesse poterit pro tempore quomodolibet in futurum solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra omnes, & singulas ordinationes, & taxas prædictas, ac præsentes nostras, literas, & in eis contenta huiusmodi à Iudicibus synodalibus, & Conseruatoribus, ac etiam Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs,cæterisq; supradictis in dicta Prouincia, omnibusq; alijs, & singulis ad quos spectat, & spectabit, quosque præmissa concernunt,& tangunt, ac concernent, & tangent pro tempore quomodolibet in futurum inuiolabiliter perpetuò obseruari, ac Carolum Cardinalem, & Archiepiscopum, seu Præsulem, ordinariosq; omnes dictæ Prouinciæ Mediolanen. præsentes, ac pro tempore existentes, aliosq; prædictos quorum, vt præfertur, interest, & intererit,ac quemlibet ipsorum illis pacificè,& quiete frui, & gaudere,non permittentes eos per Iudices synodales,& Conseruatores, ac Ordinarios, & delegatos,ac Notarios, ceterosq; prædictos, aut quoscunque alios desuper quomodolibet molestari, inquietari, impediri, vel perturbari, contradictores quolibet, & rebelles per ecclesiasticas sententias,censuras, & etiam pecuniarias pœnas, aliaq; opportuna iuris, & facti

I reme-

remedia auctoritate nostra, appellatione postposita; compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas prædictas incidisse, & incurrisse declarando, illasq; etiam iteratis vicibus aggrauando, excommunicando, interdicendo, & interdictum ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas quis auctoritate præsentium extra suam ciuitatē, & diœcesim ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis, necnon etiam in alijs vniuersalibus, prouincialibusq; & synodalibus concilijs editis, & edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, nec non etiam ciuitatis, diœcef. & Prouinciæ Mediolanen. ac quarumcunq; aliarum ciuitatum, diœcef.& locorum, nec non etiam ecclesiarum, monasteriorum, & ordinum etiam iuramento cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus decretis, & præscriptionibus etiam immemorabilibus, ac legibus etiam Pontificijs, Imperialibus, Regijs, Ducalibus, & municipalibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis etiam ciuitatibus, diœcesibus, Prouinciæ, & locis, ac etiam Ecclesijs, Monasterij, & ordinibus prædictis, illorumq; Superioribus, Magistratibus, ciuibus, & incolis, ac Pręsulibus, Capitulis, Abbatibus, conuentibus, & superioribus, nec non Iudicibus synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, Delegatis, & Notarijs, cæterisq; supradictis, & quibusuis alijs personis in genere, vel in specie sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficaciori-

cioribus,& insolitis irritantibusq;& allijs etiam vim contractus,& statuti etiam perpetui, atque legis inducentibus decretis, ac etiam motu scientia,& potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialiter, ac alias etiam pluries, & iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis,& innouatis, imposterumque etiam concedendis, confirman. approban. & innouan. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, indiuidua,& expressa, non autem per clausulas generales idem importan. mentio, seu quæuis alia expressio ad hoc habenda, aut quæuis alias exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti foret, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse, & fore, decernimus, cæterisque contrarijs quibuscunque, Aut si Iudicibus Synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisque supradictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris. Die 4. Iunij. M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno nono.

Cæs. Gloriérius.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus D. D. Carolus S. R. E. tit. S. Praxedis, Prebyter Cardinalis, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus sanctæ Mediolanen. Ecclesiæ, Quò faciliùs ad omnium, quorũ interest, notitiam præinsertæ litteræ Apostolicæ cum originali concordantes, deducantur, & ne aliquis, sub prætextu ignorantiæ, se valeat excusare, eas imprimi, & publicari, copiasq; illarũ sigillo Sancti Ambrosij, ac Cancellarij Archiepiscopalis infrascripti subscriptione munitas, ad valuas Metropolitanæ Ecclesiæ, ac Palatij Archiepiscopalis, & S. Ambrosij, ac aliarum huius Ciuitatis collegiatarum Ecclesiarum, affigi mandauit, publicationemq. ac affixionem huiusmodi, perinde omnes, & singulos, ad quos spectãt, arctare, & afficere, decernit, ac si personaliter omnibus præsentatæ forent, pariterq. exemplum vnum, tàm constitutionis Pontificiæ prædictæ, quàm præsentis decreti, singulis Reuerendiss. Comprouincialibus Episcopis transmitti iussit. Dat. ex Palatio Archiepiscopali. Die xxv. Iunij. M. D. LXXX.

M. Ant. Bellinus Med. Eccl. Can.
Ord. Archiep. Cancell.

DE CONSERVATORIBVS.

Clemens PP. VIII.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens Diuina prouidẽtia Papa VIII. nc ob malitiosam petentium suggestionum, & ex eo, quòd ob locorum distantiam personarum, quibus causæ

causæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi potest, per Iudices aliquos minus interdum idoneos in Conseruatores deputatos causas ipsas cognosci contingat, cupiens salubriter prouidere, reuocauit, ac declarauit nullas, inualidas, & subreptitias omnes, & quascumq; Iudicum deputationes in literis Conseruatorijs iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, seu aliàs quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apostolicam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum concessas, & directas ijs Conseruatoribus, & Iudicibus, qui qualitates non habent requisitas, & descriptas in Constitutione fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui Prædecessoris sui, quæ incipit *Statutum*, quiq; etiam in Concilijs Prouincialibus, aut diœcesanis, iuxta Decretum, Concilij Tridentini electi, & designati non sunt ad instantiam quorumcunq; Conuentuum Capitulorum, Militiarum, Vniuersitatum, Collegiorum, Ordinum, ac in fauorem quorumuis Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum quorumuis piorum, tam sæculariū, quam cuiusuis Ordinis, aut Instituti Regularium locorum quantumuis exemptorum obtentas, cum quibusuis præseruatiuis, restitutiuis, mentis attestatiuis derogatoriarum derogatorijs, efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis; non tamen quoad negocia iam cæpta, vel quoad ea, in quibus illæ suum sunt sortitæ effectū, seu exequutionem habuerunt: Ac etiam insuper voluit & ordinauit, quòd omnes deinceps literæ Conseruatoriæ huiusmodi per Sedem Apostolicam concedendæ ad Conseruatores, & Iudices dumtaxat dirigantur, qui qualitates iuxta dicti Bonifacij Constitutionem habeant, quiq; in præfatis Concilijs electi, & designati

 sint,

sint., & non alijs, aliter verò expeditæ litteræ præfatæ nullius sint roboris, vel momenti. Decernens, &c.

Placet publicetur & describatur. Hi.

Lecta, & publicata fuit supradicta reuocatio Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, die verò Iouis decimanona Martij, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Papæ Anno Primo.

Claudius Ciccolinus Custos.

CLEMENTIS Diuina Prouidentia Papæ VIII. Constitutio.

Super modo, & forma per quoscunque Regulares Ordines, Religiones, Instituta, seu Archiconfraternitates, & Congregationes secularium, tam Vrbis, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum, in Erectionibus, Institutionibus, & Aggregationibus Confraternitatum, & Congregationum, & communicationibus Priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, aliarumq; spiritualium gratiarum, & Indultorum eisdem Confraternitatibus, & Congregationibus faciendis in posterum obseruanda.

CLE-

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVæcumque à Sede Apostolica ad promouendam Christifidelium salutẽ aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaq; prudentia, & cautione sancita, & decreta sint; tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute solicitus progressu temporis animaduerti sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis prouenire debet; pro sui Pastoralis officij munere illis opportuna ratione occurrere & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio prouidere. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à Nobis nonnullis Regularibus ordinibus, Religionibus, & Institutis, ac etiam Christifidelium secularium Archiconfraternitatibus, & Cõgregationibus diuersarum Nationum, nominum, & institutorum, tam in Alma Vrbe nostra, quàm in alijs Ciuitatibus, & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & alijs Ecclesijs, & Collegijs, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Vrbe, & in alijs locis existentes, eisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta sibi concessa respectuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis seruari debeat; propterea siue negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & Institutorum, vel officialium Archiconfraternitatum, & Congregationũ erigentium instituentium, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus, & Congregationibus

nibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum aliarumq; gratiarum prædictarũ fiunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam, neque præscribunt modum, quo priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant; seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuria quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt, multaq; incommoda inde prouenerunt, quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicæ solicitudinis officio, paternaq; erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura decernimus, atq; statuimus, vt in posterum tam huius Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regularium, Ordinum, Religionum, & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscunq; alijs Ecclesijs, & Collegijs Confraternitates secularium erigendi & instituẽdi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cuiusuis Nationis, nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscunq; Ecclesijs, Domibus, & Oratorijs, tam secularium, quàm vt præfertur quorumcunq; etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quauis tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu aliàs quouis modos introductæ reperiantur, quibus aliàs Confraternitates, & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisq; priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi & communicandi potestas è Romanis

manis Pôtificibus Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, & Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alij Officiales, seu Superiores quouis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum vnam tantum Confraternitatem, & Congregationem de consensu tamen Ordinarij loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, & christianæ caritatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuscunq; alijs Ecclesijs & Collegijs erigere, & instituere, cæterarum verò Archiconfraternitatum, & Congregationum in singulis Ciuitatibus, Oppidis, vel locis vnam etiam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi eiusdem, vel alterius Nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis, & Cōgregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cōsueuit, apud eos commendentur, sibi adiungere, & aggregare possint: Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ ea tantùm Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in spetie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo con-

cessa

cessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, edita Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri nō possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. Insuper volumus, & ordinamus, vt prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis nouissime approbatam diligenter obseruent, secundùm quam, Priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expresse, non autem per communicationem, neq; ad instar, vt supra concessa, ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint, quibus Confraternitates, & Cōgregationes eiusdem duntaxat Nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & Instituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in posterum aggregandæ vtantur, potiantur,

& gaudeant, ita vt dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alij supradicti priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta huiusmodi; præuia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo, illa iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant; quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt, excipiendi potestas detur. Atq; hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tam Almæ Vrbis nostræ, quam aliarum Ciuitatum, & locorum quorumcunque, iuxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinarijs locorum respectiuè præscribendum, obseruare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentiū, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum, & Congregationum erigendarum instituendarum & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earū pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, necnon Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere, atq; erogare procurent, vt omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesau-

thesauros, non quæstus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri. Præterea volumus, vt Confessarij, qui vigore priuilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & cõmunicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt, seculares scilicet in Alma Vrbe à prædicto Vicario, extra Vrbem verò à locorum Ordinarijs; Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinarijs respectiuè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint; vtque Confratres confitentes à criminibus, casibus, & censuris, iuxta dictorum priuilegiorũ (quatenus tamen sint in vsu, & sacris Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non aduersẽtur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint) formam, & tenorem dumtaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt ijdem Confessarij prædictos Confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota dignæ fuerint, à casibus contentis in literis, quæ die Cœnæ Domini legi cõsueuerunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausulæ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia concessa abutentes prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab alijs etiam casibus tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Vrbe

Vica-

Vicario, & locorum Ordinarijs respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excõmunicatione ab homine lata absoluere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus, & pariter ordinamus, vt Confraternitates, & Cõgregationes vbiuis locorum, quauis auctoritate, vt præfertur erectæ, & institutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus vbilibet existentibus hactenus aggregatæ, ab eisdem respectiue Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus nouas erectionum, Institutionum, Communicationem, & Aggregationum literas, iuxta formam à Nobis nouissimè approbatam, infra annum, si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentiũ in Romana Curia faciendæ cõputandos impetrare teneantur: alioquin, dicto tempore elapso, Erectiones, Institutiones, & quæcunq; Communicationes priuilegiorum, facultatum, Indulgentiarum, aliarumq; spiritualium gratiarum, & indultorum, & Aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris, & momenti, ac reuocatæ, & abolitæ censeantur eo ipso. Erectionum autem, Institutionum, communicationum, & Aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum literæ ab ipsis Ordinibus, Religionibus Institutis, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus gratis omninò, ac nulla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant. Quod si Ministri aliqui, Superio-

rio-

riores, vel Officiales quocumq; nomine nuncupari Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatū huiusmodi, quauis auctoritate, vel priuilegio, & officio fungantur, & præfulgeant contra præm issa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, Erectiones, Institutiones, & communicationes Priuilegiorum, Indulgentiarum, facultatum, spiritualiumq; gratiarum, & Indultorum, aliorumq; præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renouandæ nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialiū & aliorum prædictorum priuationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quam à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti nō possit, incurrat eo ipso. Decernentes præsentes literas perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari debere, sicq; nostræ mentis, & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscunq; Iudices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumcunq; Ordinum, Religionum, & Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum secularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmi-

mitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, ac Bulla aurea nuncupatis Regularibus Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, & Confraternitatibus secularium eorumque Superioribus, & alijs quibusuis personis cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ existentibus, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus; ac derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu proprio, & Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries concessis, approbatis, & innouatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter, expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentes Literæ ad omnium, quos concernunt, notitiam facilius deueniat, volumus illas ad Valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ more solito publicari, & affigi, atq; ijs inde amotis, earundem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque publicatione huiusmodi, & omnes Regulares ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congre-

gatio

gationes, & Confraternitates secularium, quæ in Vrbe quidem post mensem, quæ verò in Europa, post decem menses, quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses à die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent. Et nihilominus, vt ipsæ præsentes Literæ notiore fiant, magisq; omnibus innotescant; Vniuersis, & singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per easdem præsentes committimus, & mandamus, vt per se, vel alium, seu alios hasce nostras Litteras, postquam earum exemplum recepe rint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & maioribus respectiuè Ecclesijs Ciuitatum, Oppidorum, & locorum quorumcunque eorum Diœcesum, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, ac faciant. Ceterum, quia difficile foret easdem præsentes ad singula loca, vbi opus esset, deferri volumus, & simili auctoritate decernimus, vt earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsismet Literis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die septima Decembris M. DCIIII. Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Anno

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo Sexcentesimoquarto, Indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Diuina Prouidentia Papa Octaui Anno Decimotertio, die vero vigesimaquarta Mensis Decembris retroscripta litera Apost. affixa, & publicata fuerunt ad Valuas Basilicarum S. Ioan. Lateranen. & Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in acie Campi Flora, vt moris est, per Nos Io. Bapt. Menochium, & Dominicum de Rubeis Apostolicos Cursores.

Pro Magistro Cursorum Gaspar de Bonispedibus.

DECRETVM
De Casibus reseruatis eiusque Declaratio.

EDitum fuit aliàs à Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Decretum super absolutione à casibus reseruatis eius, qui sequitur tenoris.

SACRA Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, iustis, & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D.N. CLEMETIS PP. VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam secularibus, quàm Regularibns per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas pro-

 batis

batis, quorumuis Ordinum etiam Mendicantium, Militarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum, sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationẽ à Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archi confraternitatibus secularium, aut singularibus personis, seu aliàs quomodocunque sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, ad cuiuscuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis status, gradus, & conditionis, ac dignitatis, tam Ecclesiastica, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam, eiusue Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reseruandis; nec etiam à Casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseuarunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, & speciali Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quo ad casus ab ipsis tantũ reseruatos, respectiuè, impetrata in scriptis licentia, Ordinarijs locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cætero impẽdere audeat, vel præsumat; sed cũ opus fuerit, pœnitentes ad Superiores legitimosq; Iudices suos accedere consulant; sub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm secularibus, excõmunciationis, priuationis officiorum, & dignitatũ, aut

aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones,& ad quæcunque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda: Super quibus à nemine, nisi à Romano Pontifice habilitatio, dispensatioue, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri: Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates,& concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi de cætero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Prætereà nouerint pœnitentes, absolutionem, si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusq; roboris,& momenti.

Et ne locorum Ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurium, quàm opus sit, reseruatione, subditis, aut Confessarijs in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onerosi, monẽtur omnes, vt paucos, eosq; tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumq; sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Diœcesis statu,& qualitate necessariò reseruandos esse iudicauerint, reseruent. In quorum fidem &c. Dat. Romæ die nona mensis Ianuarij Anni M. DCI.

2 Cùm autem dubia quędã difficultates circa eiusdem Decreti interpretationem atque obseruationem emersissent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiue locus relinquatur,& vt clarius appareat, in quibus casibus vigore eiusdẽ Decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. similiter viuæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretũ ita moderatur, ac declarat, videlicet. Sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœ-

næ Domini legi consueta continentur, Ac præterea Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Cõstitutionis fel. record. Gregorij XIIII. quæ incipit: Cùm aliàs nonnulli. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem fel. record. Gregorij Papæ XIII. incipientem: Ad tollendum. Iniicientiũ violentas manus in clericos, iuxta Canonem: si quis suadente &c. xvij.q.4.ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterũ reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus duntaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audien. confessiones eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate & pristino robore permanere: Ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes, tam seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante itidem Decretum, receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non aliàs absoluere à casibus in præsenti declaratione non cõprehensis: alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus imagnopere admonendos censet, vt non passim, sed cùm id videbitur commuui bono expedire, atrociorum tantùm, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam retinendam con-

ferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctata potestate Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta, contentos, neq; alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Facultatem verò, & licentiam absoluen. à casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiā sola viua voce concedi posse declarat. Cæterum ne quis Sacerdotum secularium, aut Regularium, sub prætextu, quòd per primo dictum Decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus priuilegijs derogatum, eidem Decreto, sic vt præfertur declarato, contrauenire audeat, Sanctitas Sua Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum, seu institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam secularium, quàm Regularium editis, necnon eorundem Ordinum, seu institutorum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularium locorū quorumcunque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis eisdem Ordinibus, seu institutis, ac etiam Ecclesijs, & Monasterijs, & secularibus, seu Regularibus locis, aut personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis

sionis concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis, habens, quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogat, contrarijs quibuscunque non obstantibus. Romæ die xxvj. Nouembris M. D C I I.

Alex. Card. Floren. Episc.
Prænestinus.

Hier. Agucchias Secret.

DE-

DECRETVM

Sixti V. Quod regulares ad Monasteria Monialium non accedant sine licentia Sac: Congregationis.

ILlustrissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinales, Sacræ Regularium Congregationi Præfecti ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, alijsque iustis, & rationabilibus causis animum ipsorum piè mouentibus, de speciali, & expresso mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. viuæ vocis oraculo eis facto, decreuerunt, & mandauerũt; nulli posthac Religioso, cuiuscunq; ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat, (superiore cui Monasterij, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, confessarioq; ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur duntaxat exceptis) licere absq; licentia expressa eiusdem Sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu domus quatuncunq; Monialium, vel sororum, siue sui, siue alterius cuiusuis ordinis, ad colloquendum, siue tractandum cum eis: Quod si aliquando mandato sui superioris aliquos religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum Monialium seu sororum ecclesijs, siue oratorijs exterioribus, siue extra claustra existentibus mitti contigerit, prohibuerunt ne dicti Religiosi vllo quæsito colore moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam, intra clausuram degentes alloqui possint. Confessarijs autem similiter interdixerunt, ne in ædibus Monasterij, seu domus, vel Monasterio, seu domui Monialium, aut sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias secum retineant, neue extra tempora generalium, confessionum (quibus soli tantùm confessario,

fessario, refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet cum sua habitatio, aut virorum domus, vel monasterium in quo degit, à monialium, seu sororum Monasterio, vel domo nimium distat, nisi tamen, & eo casu contrarium specialiter constitutum sit;) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum sumant. Quæ omnia & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurren. alijsque eiusdem Congregationis arbitrio, præceperunt inuiolabiliter obseruari, iniungentes cūctis R R. Patribus Generalibus, Prouincialibus, & alijs quorumuis Monasticorum, & Mēdicantium, ac non Mendicantium ordinum, & Congregationū superioribus, ad quos spectat, quatenus infra terminum vnius mensis, à die quo præsens decretum, ipsis notificatum fuerit, computandi, debeāt eiusdem decreti copiam, cum huiusmodi præcepto omnibus suorum ordinum, & Religionum Monasterijs, domibus, & Cōuentibus intimare & notificare, ac intimasse, & notificasse, ne vllam aliquando de super ignorantiam in futurum allegare, aut prætendere quoquo modo possint. Romæ Nonis Maij. 1590.

F. Michaelis Bonellus
Card. Alex.

Georgius Palearius Sec.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

BIBLIOTECA